

DISPUTATIO FEUDALIS
DE
ELEGANTISSIMA
INVESTITURÆ
MATERIA

AD IPSOS FONTES JURIS FEUDALIS DIRECTA,
ET
Textus explicationem, TITULI I. II. & III.
LIB. II. FEUD. ac ad hosce spectantes nobiliores
Controversias succinctè resolutas continens,

Quam
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
Consensu Magnifici & Nobilissimi Jctorum in Alma Salana
ORDINIS,

PRÆSIDE
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO,
DN. ERNESTO FRIDERI-
CO SCHRÖTERO,

J. U. D. ac PP. Consiliar. Saxonie Curia Provinc.
Facultat. Juridic. atq; Scabinatus Assessore
gravissimo,

Et in presenti-prælaudata Facult. Jurid. DECANO
speciatissimo

Patrono, Præceptore ac Hospite suo omni honore
aviternum prosequendo
AD DIEM XXV. AUGUSTI.

H. Lq; C.

Publicæ Eruditorum ventilationi exponet
DANIEL JERBER / CYGNEUS.

J E N Æ
ANNO, ACADEMIÆ JUBILÆO, MDCLVIII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. JOHANNI GEORGIO,
SECUNDO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC
BERGÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-
MARESCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THU-
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON SUPERIORIS
ATQUE INFERIORIS LUSATIÆ, BURGGRAVIO
MAGDEBURGENSI, COMITI DE MARCA ET
RAVENSBURG, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Augustissimam Imperatoriam Electionem,
Functionem Vicariatûs gloriosissimam,

*Summosq; reliquos labores in proximo Electorali Con-
ventu suppulentibus turbis & exterorum molitionibus
alacri studio impensas, felicissimèq; sustentos,
animi devotione, qua subditus debet,
extremè submissâ gratulatur*

*Cumq; ulteriori omnigena Augustalis felicitatis
apprecatione*

Hoc studiorum suorum periculum,
Studiorum Munificentissimo in universum Patrono,
Præfidi, Nutricio, dicando, consecrando, ex
devotissimo affectu

deponit ad pedes,

EJUSD. SERENISSIMÆ CELSITUD.
subjectissimus Cliens

Daniel Serber.





ROBERTI DE ORTO
DE FEUDIS
LIB. II.
CONTINUATIO

Licet in distributione Juris Feudalis
Dd. varient, & nonnulli, ut Cujac. illud in quin-
que, alii in quatuor, alii, ut Andr. de Isernia in-
tres dispescant libros, tamen meliùs est, ut secun-
dum vulgarem partitionem duos tantum agno-
scamus, siquidem uti Entia sine necessitate non sunt multipli-
canda, ita nec libri alicujus operis. Postquam ergò ad finem
perductus est liber primus Feudorum, sequitur recto ordine
secundus.

DE FEUDI COGNITIONE.

TIT. I.
TEXTVS.

OBertus de Orto (*a*) Anselmo filio suo
dilecto Salutem! (*b*) Causarum, qua-
rum cognitio frequenter nobis committi-
tur, aliæ dirimuntur Jure Romano; (*c*) ali-
æ verò Legibus Longobardorum; (*d*) aliæ
autem secundum Regni consuetudinem,
(*e*) quæ quanquam sint variæ, & quanquam
secundum diversorum locorum aut curia-
rum

A

rum

rum mores sint diversæ, nec breviter possint dici, nec libello facile comprehendi: usum tamen Feudi, qui in nostris partibus, prout possibile est, exponere tibi necessarium duxi. (f) In iudicio etenim, quod de Feudo agitur, illud Legibus nostris contrarium dici solet, (g) Legum autem Romanarum, non est vilis autoritas, sed non adeò vim suam extendunt; ut usum vincant, aut mores. (h) Strenuus autem Legis peritus, sicubi casus emerferit, qui consuetudine Feudi non sit comprehensus, (i) absque calumniâ uti poterit lege scriptâ. [k]

ELABORATIO.

(a) Hunc Obertum de Orto qui majori ex parte Autor est hujus libri secundi, vel ex cujus scriptis maxima pars libri hujus est desumpta, putat *Duarenus* fuisse hominem privatum: verum satis erroneè, refutat siquidem illum textus præsens, in quo dicitur, quod causarum cognitio ipsi frequenter fuerit commissa, id quod sanè de homine prorsus privato prædicari nequit. Rectius ergò cum *Ottone Frisingensi de reb. gest. Frider. I.* vel ut *Johannes Cassialup. in rep. cap. 1. de Feud. cognit.* putat, Advocatum Mediolanensem maximum, qui multa in causarum, maximè feudalium, frequenti disciplina viderat.

(b) Hic quàm sæpissimè ad Obertum patrem suum, ut ipsum in juris & maximè feudalis materia instrueret, scribebat, uti patet *ex c. 1. in quib. causis feud. amitt. in princ.* Pater autem, ne filii preces parvi pendere, & studium imminens negligere

negligere videretur, illi rescriptit, se in quadam epistola comprehensurum, quo jure omnes causae tam non feudales, quam feudales decidentur, & epistolico more prius eum salutat.

(c) Haec verba intelligenda esse videntur de causis non feudalibus, vel civilibus, quae ex jure Romano veniunt decidenda; Nam etsi non nunquam etiam controversia feudalis ex jure decidi potest civili Romano, tamen hoc tantum fit, quando jus feudale prorsus deficit, seu quando illud ad factum commodè applicari nequit.

(d) Post Ostrogothos enim etiam Longobardi postquam à Narsete invitati, Italiam coeperunt incolere, leges conscribere. Fuerunt aliàs Longobardi populus certus in Italia, de quo scribit *Paul. Diaconus de gesti. Longobard. lib. 3. c. 8.* quod cum per decem annos in Italia sub potestate Ducum fuisset, communi consilio Rotharim, vel ut eum appellat Diaconus Autharim, Clephonis filium Regem sibi statuerit, & quod ob restorationem Regni Duces, qui tunc fuere, omnem substantiae suae medietatem regalibus usibus tribuerint, ut esset, unde Rex ipse, & qui ei aderant, ejusque obsequiis per diversa officia dediti alerentur. *Add. Pancirol. Thesaur. Variar. Lect. lib. 1. c. 90. circ. fin.* Hic verò Rotharis Rex Longobardorum teste *Paulo Warnefredo Hist. Longob. lib. 4. c. 44.* Leges, quas solà memoria & usu tenebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum Edictum appellari fecit, ex hac procul dubio ratione, quod veteres Italiae incolae Romano quondam Imperio subditi, quorum lingvâ Longobardis fuit utendum, respexerint ad morem antiquum Praetorum Romanorum, quorum erat Edicta promulgare. *Disf. Caccial. d. tr. p. 3. n. 11.* ubi Carolo Regi hoc adscribit. Et augebat postmodum illud Edictum Grimoaldus Rex Longobardorum, attestante *allegi. Warnesfr. l. 5. c. 33.* & Luitprandus Rex; de quibus duobus Regibus ita notanter scribit *Lindenbrogius in proleg. ad Codic. LL. antiquarum*: Rotharim secutus est Grimoaldus Rex & sexto regni sui anno, mense Julio, Indictione XII. quae in priori Edicto emendanda visa fuerunt, per sug-



gestionem Judicium correxit & renovavit. Hunc Luitprandus, qui & ipse statim ab anno regni sui primo usque ad annum 22. die Kal. Mart. Indiēt. III. in Edicti pagina multo plura quam priores duo adjunxit, quæ in MSS. Codd. suis epigraphis distincta leguntur. Idem ferè tradit *Carolus Sigonius l. 3. de Reg. Italiae*. Idem fecerunt post illos Carolus Magnus, & filius ejus Pipinus, *vid. Exc. Dn. Couring, tr. de orig. jur. Germ. cap. 12.*

(e) Per regnum rectè videtur Alvarottus hîc intelligere Italiam, in quo licet fuerint LL. generales, tamen habebat etiam consuetudines suas, & quidem varias, ac pro diversitate locorû diversas, quæ unâ in epistolâ comprehendi nequeunt. Absurda verò, & textui haud conveniens est opinio Cacialupi, putantis, per consuetudines Regni posse hîc subintelligi librum inscriptum, Consuetudines Regni, in quo certæ consuetudines continentur.

(f) Per usum Feudi intelligit Obertus de Orto consuetudines feudales, quæ post usum seu varios actus introductæ sunt; per partes verò Mediolanum seu Curias Mediolanenses. Colligendum insuper ex his verbis est, dari Jus Feudale commune & particulare. Illud est ejusmodi, quod veluti regula in Republ., ubi præter id jura Particularia difformia vigent, usu est receptum, & quod observatur apud omnes, iis casibus, quibus ab illo speciales mores aut statuta non recedunt. Hoc verò iterum duplex est; vel enim in multis provinciis, ac civitatibus obtinet; vel in hac aut in illâ provinciâ seu civitate tantum, & vocatur magis particulare, de priori autem videtur textus præsens esse intelligendus. Dissent. *Molinaus in Consuet. Paris. tit. 1. n. 103.* cui respondet *Dominus Struve in disputat. Feudalibus. Disp. 1. th. 13.* Hîc nunc referenda quaestio est: Si alia sit consuetudo vel jus in provinciâ, ubi curia Domini, alia ipsius Curiaë Dominicæ, alia in loco, in quo contractus est initus feudalis, alia denique ubi res feudalis exstat, cujus loci jus sit observandum? Respon. distingv. An diversitas jurium occurrat in iis, quæ ipsam rem feudalem, an verò in iis, quæ contractum ut contractum concernunt.

Priori

Priori casu attendenda est particularis consuetudo loci, ubi res sita est; Posteriori verò casu observatur jus loci, quo contractus est initus. Licet utroque casu in Curia Domini aliud obtineat, nisi specialiter statutum, aut introductum fuerit, idem jus in omnibus Feudis vel etiam contractibus feudali- bus, quod in curiâ Domini servatur, servandum esse *vid. Ro- senthal. cap. 1. Concl. 14. Schneid. de Feud. p. 1. num. 11. & Schuliz. in Synops. feud. c. 1. num. 21. Goth. Anton. diss. feud. 1. th. 1. lit. m.*

(g) Sensus horum verborum est talis: Judicium feu- dale secundum juris communis regulas non institui, imò in- terdum in multis contrariari. *Caccialup. in repet. cap. 1. d. Feud. cognit. num. 22. p. m. 35.* Uti enim aliàs in controversiis civili- bus jus Civile Canonico & Feudali præfertur; ita quoque in decidendis causis feudali- bus præfertur utrique jus feudale. Aliàs quando quæritur: An jus feudale ad decidendas causas non feudales rectè allegetur? Multi respondent negativè ² propter *b. n. text. in verb. illud legibus nostris contrarium dici solet. 2.* quia consuetudines feudales, cum sint jus singulare, ad u- nam feudorum materiam pertinens, non sint trahendæ ad consequentiam, *l. jus singulare. 16. ff. de LL.* Et in hac sententiâ est cum *Rosenthal. c. 1. concl. 10. Dn. Seruve d. Diss. feud. 1. th. 14.* Alii verò affirmativam arripiunt sententiam, moti ¹. Quod ratio naturalis vim legis habeat. *l. 13. §. 7. ff. de exc. tut.* Si ergò in libris feudali- bus occurrit bona ratio, tum ea non ut consue- tudo feudalis, quæ aliàs strictam habet interpretationem, sed ut ratio aliqua communis, & in aliis etiam causis valitura, seu tanquam ipsa justitia naturalis judicem movere debet *arg. l. in summâ 2. §. 5. ff. de aqv. & aqv. plur. arc. 2.* Quia jus Civile de- ficientibus consuetudinibus feudali- bus ad decisiones quæsti- onum feudali- um porrigitur, *b. n. tx. E.* vice versâ jus feudale, deficiente jure civili ad controversias civiles extendi potest. *vid. Finckelth. disput. feud. 1. th. 9.* Nos cum *Dn. Arum. p. m. diss. feud. 1. th. 3.* ubi ad Dissent. rationes ordine respondet mediam arripimus viam, distingventes hoc modo: Aut jura feuda- lia disponunt aliquid secundum vel præter regulas juris com- munis, & tunc illa possunt etiam in aliâ materiâ allegari: Aut



jura feudalia aliquid disponunt contra regulas juris communis, ut in c. 1. §. si autem 2. Feud. 2. & 1. F. 29. & tunc in aliâ materiâ, quàm feudali allegari non possunt. Vid etiam Zabel. *disp. feud. 1. 1b.*

(b) Usus & mores intelligit hic Obertus, pro subiectâ materiâ, feudales. Unde quoque colligendum videtur, quod consuetudo tollat & vincat legem, scriptam, id quod tamen adhuc in controversiâ est apud Dd. Nam nonnulli hoc simpliciter negant propter l. 2. C. quasi longa consuet. ubi expressè traditur, quod consuetudo legem non vincat. Alii distingvere malunt inter consuetudinem & desuetudinem, ita ut desuetudo quidem legi deroget, sed non consuetudo, quam distinctionem rectè refutat Magnif. Dn. Ungebaur. *Exerc. 2. q. 8.* Nos ergò hic distingvendum esse putamus: Aut consuetudo contraria est legi, & lege posterior, aut non est contraria, vel anterior. Priori casu consuetudo omninò vincit legem, non quasi sit fortius jus quam Lex, sed quia posterior est & legi contraria. Posteriori verò casu non. vid. Notas nostras & animadversiones ad *Suth. Dissert. 1. aphor. 94.*

(i) Non verò statim verbis expressis deficientibus dicendum est, casum ex Jure Feudali non posse decidi, sed tunc demum, quando nullo legitimo interpretandi modo Jus Feudale ad casum obvientem applicari potest arg. l. 17. l. 29. l. 30. ff. de LL. l. 5. C. eod. Non minus enim ex lege vel consuetudine est, quod ex sensu ejus colligitur, quàm quod ex verbis ipsis desumitur. l. 6. §. 1. de V. Sign. Est autem interpretatio juris feudalis, alia Simplex; alia Extensiva, quæ ex sensu verbis latiore, & ratione generali ac simili est inducenda, juxta l. 12. l. 13. ff. de LL. 2. F. 54. Quamvis enim aliàs consuetudo non admittat hanc interpretationem, id tamen intelligendum de consuetudine particulari, non generali, quales sunt consuetudines feudales. *Rosenthal. c. 1. concl. 15. & seqq.* Alia denique est Restrictiva, & obtinet tunc in jure Feudali quando sensus vel ratio ejus est angustior, vid. *Schrad. p. 1. q. 5* Inspecie autem à Feudistis quaritur: 1. An argumentum ab Emphyteusi ad Feudum procedat? Respondendum esse putamus cum

Dn. Arn.

Dn. Arnumao p. m. in Disp. Feud. 1. tb. 2. & Caccialup. d. tr. p. 7. n. 7. data paritatis ratione omnino ab Emphyteusi ad Feudum argumentari licere. Licet enim in multis hæc duo inter se discrepent, tamen & in multis conveniunt, ut ostendit *Nic. E. verb. in topic. loc. ab Emphyt. ad feud.* & sic in iis, in quibus comparantur, argumentum procedere poterit, siquidem quod statuitur in uno casu individuo, per quem fit æquiparatio, locum etiam habet in alio *arg. l. si quis serv. cum gl. fin. C. de furt. junct. l. ut tantum. §. 1. ff. de Serv. corrupti. vid. Caccialup. d. loc. Disp. Finckelth. Disp. feudal. 1. tb. 13.*

II. Quæritur, An in jure Feudali licitum est argumentari à contrario sensu? Multi hoc negant. 1. Quia causæ feudales, ubi per consuetudines feudorum non exstant decisæ, decidi debent per Jus Commune Romanorum *b. n. 1. in fin. 2.* Quia consuetudo est stricti Juris & proprios terminos non egreditur *l. 99. ff. de V. O.* Verum affirmativa sententia verior est, modo non tendat ad juris feudalis aut communis correctionem. Quæ stabiliri potest sequentibus fundamentis. 1. Quia argumentum à contrario sensu venit ex mente legis vel consuetudinis, & sic est tacitus & subauditus intellectus. Casus ergò sumptus à contrario sensu legis vel consuetudinis censetur esse in ipsa lege vel consuetudine, *arg. l. 6. §. 1. de V. S.* & sic non necesse est, ut ad jus Civile Romanorum recurramus. Nec desunt exempla in jure Feudali; Quando enim in *c. 1. Hic finitur lex 2. F. 28. & c. 1. de nov. form. fid. 2. F. 7.* traditur, quod Vasallus ad præstandum auxilium Domino suo teneatur in bello justo; exindè sanè necessario concludendum, quod in bello injusto non teneatur, id quod etiam fit in *d. 1. 28. in pr. lib. 2. Feud.* Sic Vasallus in possessione Feudi existens, si investituram intra annum & diem non petierit, feudo privatur. *c. 1. §. præterea si quis de prob. feud. alien. per Frid. 2. F. 55. c. 1. qua fuit prima caus. 2. F. 24.* Ast si Vasallus feudum non possidens intra debitum tempus investituram non petierit, quoniam possessio per alium fuit invasa & occupata, feudo privandum non esse, FF. communiter concludunt, sumpto argumento à contrario sensu. Aliud exemplum desumi potest ex *§. fin. 2. F. 3.* ubi

ubi depositum reperitur, quod nulla debeat fieri investitura
ei, qui fidelitatem facere recusat. Ergo à contrario sensu eum
qui fidelitatem præstare paratus est, Dominus investire ne-
cesse habet. Alterum stabilimen nostræ sententiæ est: Quia
aliàs argumentum à contrario sensu est fortissimum teste E-
verb. in top. loc. à contr. sens. num. 1. per l. 1. in pr. ff. de off. ej. cui
mand. fur. & dicitur sensus legis apertissimus, secundum Bart. &
Gothofr. in l. si locuples. 57. in fin. ff. de man. test. Nec obstant duæ
illæ pro negativâ sententiâ supra adductæ rationes. Ad pri-
mam enim responderi potest, quod, quando argumentum à
contrario sensu ducitur, non deficiat textus feudalis, juxta
primam nostram decidendi rationem. Ad secundam verò re-
spondemus 1. quod consuetudo non egrediatur terminos pro-
prios, quando argumentum à contrario sensu ducitur, siqui-
dem tùm ratio & mens legis seu consuetudinis ponderatur,
adeoque ista argumentatio in ista lege expressa est, nempe ex
mente ejus, d. l. 6. de V. S. 2 per instantiam, statuta etiam
sunt stricti juris, & tamen admittunt hoc argumentum, Bar-
tol. ad l. omnes populi 9. ff. de J. & J. vid. Curt. Jun. in Tract. feudal.
4. q. 1. part. princ. ubi variè in hac quæstione distingvit. III.
2. Controvertitur in FF. An in materia feudali habeat locum
argumentum à simili? Putamus autem distingvendum hîc
esse tali modo: Aut loquimur de extensione passiva consue-
tudinum feudalium, id est, utrum jus commune consuetudi-
nes feudales extendere possit ad casus similes, & hæc extensio
potest & debet fieri in consuetudinibus feudalibus. Aut lo-
quimur de extensione activâ, id est, utrum consuetudines feu-
dales vires suas porrigant per se, non juris communis suffra-
gio ad casus similes; & tunc aut ratio est expressa in consuetu-
dinibus feudalibus, & eo casu licitè consuetudines ad casus si-
miles, in quibus eadem ratio locum habet, extenduntur, ut
& statuta arg. l. 7. vers: tacitè cautum. C. de revoc. donat. Gloss.
clem. 1. verb. eligatur. de Elect. Aut in consuetudinibus Feudo-
rum non est ratio expressa, nec habetur pro expressa, & tunc
vel consuetudines Feudorum, nisi extenderemus eas ad casus
similes, sunt elusoria, nec quicquam operantur, & licitum
atque

atque permissum est, eo casu consuetudines Feudorum extendere ad casus similes: Vel consuetudines Feudorum non sunt superavcuę nec inutiles, licet non extendantur ad casus similes, & eo casu aut consuetudo Feudorum corrigit Jus commune; aut non corrigit jus commune, sed est vel præter, vel secundum Jus commune. Primo casu, consuetudines feudales ad casus similes non extenduntur. Secundo verò casu, aut reperitur tantum in illo casu, de quo agitur, simile consuetudinum feudalium, non autem reperitur simile legi scriptæ, & absque omni dubio consuetudines feudales extenduntur ad casum illum similem: aut in illo casu, de quo agitur, concurrunt & simile legis scriptæ, & simile consuetudinum feudalium, tunc si illud, de quo agitur, sit quæstio feudalis, licet illa expressè in consuetudinibus Feudorum decisa non sit, tamen extendimus consuetudines ad illam quæstionem argumento à simili deducto. Si verò illa quæstio, de qua agitur, sit juris Civilis, non est permissum consuetudines feudales ad eam extendere, propter similem vel majorem rationem; Sin autem quæstio sit indifferens; id est, æqualiter sese habens ad consuetudines feudales & ad jus commune scriptum, tunc sequimur consuetudines feudales, si argumenta ex illis desumpta fortiora sunt, vel magis rationi convenientia, alioquin consuetudines feudales ad hunc casum minimè extendere licet, *vid. Schrader. de Feud p. 1. q. 3.* ubi decisionem hanc variis declarat exemplis, quem omninò vide.

(k) Cùm enim consuetudine & jure feudali quid non est determinatum, credendum est, in eo mores feudi non discrepare à jure alio, adeoque tunc vel idem, quod aliàs communiter obtinet, servabitur. Quoniam verò duplex datur lex scripta, Civilis & Canonica, ideò quæstio subnascitur: Si ^{2.} controversia feudalis jure Feudorum decisa non reperiatur, & in illa jus Canonicum à jure Civili discrepet, quodnam servari debeat? Hic variæ sunt FF. sententiæ. Quidam, inter quos est *Mozz. de nat. feud. num. 119.* jus Canonicum juri Civili præferendum esse censent, idque potissimum propter juramentum, quod interponitur in feudo à Vasallis. Et cum ve-

B

risimi-



rifimile sit, longè justiora constituisse sanctos Canonum Auctores, quàm Ethnicos Ictos. In quâ opinione quoque est *Wesemb. de Feud. c. 17. n. 14. vers. si nec illud. Bald. in c. Imperialem. §. ult. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55. & Schrad. vol. 1. consil. 3. n. 219.* Alii jus Civile tantùm in decidendis feudalibus controversiis sequendum esse opinantur, ut *Molin. ad Consuet. Parisiens. tit. 1. gl. 5. n. 72. & Zabel. Exerc. feud. 1. th. 6.* Nonnulli putant distingvendum esse inter personas actione quadam conventas, ut, si reus sit Laicus, etiamsi actor sit clericus, judicandum sit secundùm jus Civile; Sin verò reus sit clericus, quamvis actor sit Laicus, iudex sequi debeat jus Canonicum. Verùm tutior nobis cum *Dn. Arum. p. m. disputat. feud. 1. thes. 26.* videtur opinio eorum, qui unicuique in suo foro & in suis causis standum esse censent: Ita ut in terris Imperii & foro seculari jus Civile; in foro verò Ecclesiastico & terris Ecclesiæ subjectis Jus Canonicum servetur. *vid. Schneid. in Epit. feud. p. 1. n. 8. Vult. in lib. 2. feud. cap. ult. num. 26. Niell. disp. feud. 1. th. 4.*

TEXTUS.

SCiendum est autem, Feudum sive beneficium non nisi in rebus soli (a) aut solo cohærentibus; (b) aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur (c) veluti cum de Camerâ aut Cavenâ Feudum datur, (d) posse consistere: (e) Ac Feudum neminem posse acquirere nisi investitura (f) aut successione. (g)

ELABORATIO.

(a) Solum, teste *Seneca lib. 2. nat. quest.* proprium Ictorum verbum est, & pressè ac scitè ad res immobiles significandum assumitur, *l. 1. §. 1. ff. de R. V. l. 1. ff. de condict. tritic. l. 7.*

§. 1. ff.



§. 1. ff. de Usufr. Res autem immobiles dupliciter considerari
 possunt. 1. Universaliter seu congregatim. 2. particulariter
 atque divisim. Priori modo si considerantur, denotant vel
 integra territoria seu Provincias v. g. Ducatus, Principatus,
 Comitatus, qui cum superioritate territoriali ab Imp. in Feu-
 dum statibus Imperii concedi solent; vel Castra cum variis
 Juribus ac pertinentiis. Unde quæritur. An castro concessio, 2.
 civitate vel pago, simul concessa intelligatur Jurisdictio?
 Multi, ut Bart. in l. si quando C. de bon. vacant. lib. 10. Bald. in l. qui
 multa. C. de bon. qua lib. Tesaur. dec. 250. num. 1. & sequent. Petr.
 d. Gregor. de concess. feud. p. 7. q. 2. n. 1. Jacob. Mandell. in repet. l. 1.
 n. ult. ff. de Jurisdict. omn. judic. Job. Blanc. in Epit. feud. lib. 1. c. 3.
 Sansb. p. 8. n. 23. & Rüdinger. lib. 2. contror. cap. 14. hoc putant,
 moti 1. Quod beneficium Principis latissimè sit interpretan-
 dum l. beneficium 3. ff. d. const. Princ. 2. per l. 1. §. initio 4. ff. de Offic.
 Pref. urb. d. l. si quando 2. C. de bon. vacant. l. 10. ex quibus txx. elici-
 censent, rem simpliciter datam videri datam cum omnibus ju-
 ribus & adjacentibus. 3. Quia concessio principali censentur
 omnia concessa accessoria & ei cohærentia, arg. l. cum in diver-
 sis 44. ff. de rel. & sumpt. fun. Verùm hæc tanti non sunt momenti,
 ut nos moveant. Contrariam ergò tanquàm veriorem, poti-
 ùs fovemus sententiam. 1. Quia castrum & Jurisdictio inter
 se nihil habent commune. Castrum enim sive oppidum ex
 communi usu id solùm significat, quod muris cingitur. Ju-
 risdictio autem quid sit, demonstratione non indiget. 2. Quia
 quamvis hodiè Jurisdictio perinde, ut aliud quoddam, ac-
 quiratur, & plerumque unà cum castris, pagis &c. con-
 cedi soleat; nihilominus tamen re ipsa distincta manent pagus
 vel castrum, & ipsa jurisdictio in eos, qui in pago vivunt, ita
 ut licet alius Jurisdictionem habeat, possit quis pagum, & a-
 lia emolumenta habere. Knichen. de Sublim. territ. jur. p. 278. &
 seqq. n. 281. Tiber. Decian. resp. 43. n. 1. & seqq. vol. 3. Et sunt notatu
 digna, quæ ad hanc rem tradit Rosenthal. de Feud. cap. 5. concl. 6.
 verba ejus hæc sunt: Et ita nuper vidimus exemplum in
 Germaniâ, ubi merum imperium, & regalia alicujus Baro-
 niæ sunt uni infeudata, cum territorium & reliqua ad a-

lium jure proprietatis pertineant, de quo in Jure respon-
di. Nec obstant supra adductæ dis. rationes. Ad primam e-
nim respondemus, illam tunc procedere, quando Princeps,
privilegium qui alicui concessit, usus est verbis generalibus,
& multa in se comprehendentibus, e.g. Si in investitura dixisset:
Do tibi in Feudum castrum, cum omnib. pertinentiis & jurib.
Quod verò secundo attinet allegatas leges, illæ videntur pror-
sus esse impertinentes, & in aliis terminis loqui; ac si aliquid
faciunt, hoc tantum important, quod re simpliciter datâ, o-
mnia ea simul data censeantur, quæ ei insunt, & perpetuò
quasi adhærent. Jurisdictio autem castro necessariò & per-
petuò non adhæret, ut supra demonstratum, sed plerumque
ad personam spectat. Et sic in simul apparet, quid ad tertiam
dissent, rationem responderi queat, nimirum falsum esse præ-
suppositum: jurisdictionem castro vel oppido perpetuò coherere,
ejusq; esse accessoriû, ita ut cujus est oppidû vel castrû, penes
eum etiã sit Jurisdictio. Tantû de hac questione Posteriori v mo-
do consideratæ res imobiles denotant hanc vel illâ re in indivi-
duo; Et sic res imobilis est vel naturaliter vel civiliter talis. Na-
turaliter imobilis est res corporalis, quæ suâ naturâ moveri
nequit, ut ager, pratum, sylva, vinea, molendinum: Et quæ
solo cohæret, de quibus postea. Civiliter res immobilis est
vel corporalis mobilis, vel res incorporalis. Res corporalis
mobilis pro re immobili habetur illa, quæ ad rem quandam
immobilem pertinet, & ab ea civiliter loquendo separari ne-
quit: adeoque non nisi conjunctim cum re, ad quam perti-
net, in feudum dari potest. *vid. Dn. Struve Exerc. feud. 6. ib. 12.*
Ita cum fundo etiam animalia, instrumenta & alia, quæ ad
fundi sive prædii instructionem pertinent, in feudum rectè
dantur, cum castro sive fortalio machinæ & tormenta belli-
ca. *Rosenhal. cap. 4. concl. 4. n. ult. & Andr. Knichen. de vestit. pact.*
p. 2. c. 4. n. 8. Res incorporalis suâ naturâ nequè mobilis ne-
que immobilis est, sed censetur pro re immobili ista, quæ rei
immobili in hæret: ut sunt jura in rebus immobilibus compe-
tentia, inter quæ præcellunt Regalia, de quibus infra in sin-
gulari titulo tractatur.

(b) Sic, ædificio in feudum concessio, omnia, quæ illi
affix



affixa sunt, vel ad usum ejus conferunt, unâ veniunt, l. Julianus
3. §. fin. cum l. seq. de act. empt. Schrad. de Feud. p. 3. cap. 4. num. 2.
Sic agro aliove fundo in feudum dato etiam fructus penden-
tes dati intelliguntur. arg. l. 44. de R. V. Rosent. c. 4. conclus. 2.
Dis. Niell. disp. feud. 3. th. 1. quem eleganter refutat Dn. Arum. p.
m. Disp. feud. 4. th. 7. Sylvâ quoque in feudum concessâ, plenissi-
mus ejus usus, qui utili Dominio congruit, concessus intelli-
gitur, obstrictus tamen est vasallus sylvâ civiliter uti ne sylvâ
penitus excindatur, aut devastetur, atque ita proprietas im-
minuatur. Andr. Knich. de vest. pact. p. 2. c. 2. num. 6. Sylvâ verò
in feudum datâ jus venandi simul concessum non intelligitur.
Est enim peculiare Regale. Si tamen sylvæ fructus ex venatio-
ne constat, juxta l. 26. ff. de Usur. tunc jus venandi vasallo con-
cessum intelligitur, ne parum utilitatis aliàs ex feudo conse-
quatur vasallus. vid. Finckelth. disp. feud. 3. th. 15. ubi etiam dis-
sentientem Hunn. de Feud. cap. 9. refutat. Quæritur autem ul-
terius hîc: Num vasallo licitum sit ex sylvâ feudali arbores
cædere, ut eas non tantùm in proprium usum vertat, sed & a-
liis vendat? In qua quæstione distingvendum esse putamus
inter sylvam cæduam, & non cæduam l. 3. de V. S. Ex illâ ar-
bores cædere potest; quoniam si ususfructus in sylvâ principa-
liter est constitutus, utique & arbores grandiores cædere li-
cebit. Videmus etenim quotidie etiam bonos patres fam.
arbores grandiores cædere, & quercus annosas non rarò eti-
am prostrernere. vid. Schæffer. p. 2. quæst. præct. II. n. 34. 35. &
seqq. Ex hac verò non. Quia si vasallus sylvam non cæduam
cæderet, eam vastaret, & feudi conditionem faceret deterio-
rem, quod ei permittendum non est. §. è contrario. ibi, deterio-
rem verò. 2. F. 8. & §. fin. ibi, siue vastatione aliquâ. 2. F. 27. Sic e-
tiam stagno in feudum concessio, & pisces perpetuitatis causâ
ibi repositi concessi intelliguntur. Fiunt enim stagna propter
pisces, sicut arva propter fruges. Addition. ad Guid. Papæ. decis.
91. Cohærent quoque solo molendina. quæ triplicis sunt ge-
neris: Vel enim in solo ac ripis fluminum sunt ædificata, &
appellantur Germanice Wassermühlen / quæ quoniam im-
mobilia sunt, sinè dubio in feudum dari queunt. Rosenthal. c. 4.



concl. 4. *Cochm. resp. juris* 11. n. 47. v. 3. Quædam verò, sunt molendina pneumatica Windmühlen / quibus etiam annumerari possunt molendina, quæ caballis seu equis exercentur & German. Rosmühlen vocantur,) & de his lis est inter FF. an in feudum concedi queat? Doctores Juris Saxonici duas diversas opiniones fovent, quidam inter quos est *Carpzov. p. 3. const. 24. def. 8. Joach. Beust. in tract. de Jure Connub. part. 2. cap. 69. & Jacob. Schultes in add. ad Rotsebütz de dote & dotal. art. 25. Berläch. p. 3. conclus. 3. n. 13.* simpliciter tradunt, quod hujusmodi molendina sint res mobiles, ex eo fundamento, quoniam de loco in locum moveri possunt. Unde dicendum esset, quod tale molendinum in feudum concedi nequeat. Alii distinguunt inter molendina pneumatica, quæ commodè de loco in locum transferri possunt; & ea, quæ ita solo cohærent, ut citra rei ipsius interitum, dimoveri inde nequeant. In quâ sententiâ est etiam *Scheffer. p. 2. quest. jur. practicabil. p. 2. q. 9. n. 17.* Nos verò cum *Rosenthal. c. 4. concl. 4. & Hering. in tr. elegant. de molend. q. 8.* indistinctè statuimus, molendina pneumatica esse res immobiles seu pro rebus immobilibus haberi, ac per consequens in illis feudum constitui posse, moti. 1. Quia illud stabile dicitur, quod moveri non potest. Molendina verò, quæ vento agitantur, non nisi corrupta & dissoluta inde transferri queunt. 2. Quia omne mobile, quod immobili cohæret aut adhæret, pro immobili habetur, ejusdemque naturam adsumit. *Cagnol. ad l. cum principalis. n. 13. de R. J.* Atqui horum molendinorum stipites atque fundamentum inferiores scilicet: trabes & præsertim columna media terræ firmiter adhærent, atque infixæ sunt, ut licet pars superior ad ventum commodum circum agitetur, basis tamen & fundamentum, quod principaliter consideratur, semper in centro maneat, nec unquam moveatur. 3. Sicut dolia & torcular res per se sunt mobiles, sed si fuerint illa ad perpetuum usum depressa, aut per magnitudinem difficile moveantur, pro immobilibus habentur, *l. si cui vinum. 3. S. 1. vers. in doliis ff. de tritic. vino & ol. legat. l. fundi 17. in pr. ff. de act. empt.* Ita & molendinum, quod magis terræ infixum, eique adhæret, ut jam
osten-

ostensum, add. Finckel. de Feud. disp. 3. q. 20. Dn. D. Struve in Syn-
tagm. jur. feud. disp. 6. tb. 11. ubi etiam ad l. Titius 60. ff. de acquir.
rer. dom. quâ moventur dissent. respondent.

III. Quædam vocantur molendina navalia, de quibus 2.
etiam quæritur, an sint materia habilis feudi constituendi?
Negant hoc Vult. c. 5. n. 5. Rosenthal. d. concl. 4. Gothofred. An-
ton. disp. feud. 3. tb. 4. lit. f. ut & Carpzov. d. defin. 8. pro quibus
pugnare videtur, i. quod talia molendina semper natent. flui-
tent. & quandoque de loco in locum secundum rapiditatem
fluminis (sunt verba Johan. Heringii d. q. 8. n. 26.) moveantur.
2. l. 20. §. 4. ff. quod vi aut clam. ubi dicitur, quod navis sit res
mobilis: Molendinum autem navale est instar navis. E. Ve-
ritati tamen magis conveniens est opinio contraria, quæ sta-
biliri potest sequentibus rationibus, quarum 1. quia ædifi-
cans ea intentione ac destinatione tale molendinum extru-
xit, ut semper, perpetuò, non pro motu, sed pro molitura in
illo ipso flumine maneret. Nunc autem extra dubium est, &
infra demonstrabitur, quod destinatione res mobilis per se
immobilis fiat, atque pro tali habeatur. add. l. cætera §. quid
ergò. ff. de Leg. 1. l. dolia. ff. de fund. instr. & instr. leg. 2. quod hu-
jusmodi molendina tanquam in loco quodam subsistentia,
ita quidem, ut eorum solum sit quasi aqua, eundem, quem a-
lia molæ, quas aquæ versant, præbeant usum perpetuum, licet
propter fluxum aquæ, quæ hîc instar soli est, in sua magnitu-
dine, non per uncias considerata, ipsis accidat moveri, ut flu-
mine crescente se attollere, eò recedente rursus subsidere que-
ant. Unde etiam funibus aliisque mediis firmiter terræ allegari
solent. Quodcunque autem, licet per se mobile sit, solo ad-
hæret, pro immobili habetur. Nec obstat Dissent. funda-
mentum primum. Sciendum enim est, quod mobilitas non
semper & $\kappa\tau\epsilon\pi\alpha\tau\omicron\varsigma$ arguat rem aliquam mobilem esse, sed u-
trumque aliquando subsistere posse, nimirum rem posse mo-
veri, & tamen immobilem sui naturâ esse. Sic insulæ maris
aut stagni, licet in suo loco non permaneant, veniunt tamen
appellatione immobilium vid. Gryphander in Tract. d. insulis.
cap. 6. num. 42. usq; ad n. 49. cap. 32. n. 9. 10. usq; ad n. 18. Quo-
circa

circa etiam nonnulli Geographi scribunt, insulas quasdam errare, add. *Dionys. Halicarnass. lib. 5. antiq. Rom. cap. 13. & lib. 1. cap. 9. & Virgil. lib. 3. Aeneid.* Imo si ex motione de loco in locum argumentum validum sumitur, omne quod loco movetur, & moveri potest, omnino mobile esse, ne quidem terra amplius erit immobilis, cum & eam totam, secundum nonnullos Physicos aut Mathematicos, vid. *Clar. Dn. M. Daniel Lipsorpius, amicus noster venerandus in Capernico redi vivo*, aut ejus partem moveri contingat, quod etiam approbat *fluminum. 24. §. 3. & 4. de damn. infect.* Quod verò d. l. 20. §. 4. ff. *quod vi aut clam.* attinet, respondetur: Licet hujusmodi molendina nonnunquam quoad formam externam in oculos incurrentem pro navi quadam habeantur, & non minus aquam subjectam habeant, ac æquè assurgant & descendant, quàm naves; Tamen longè inter se differunt esse & pro tali haberi. Et omne simile etiam est dissimile; Inter alia autem differunt inter se 1. fine, propter quem tamen agit omne agens. Naves enim ad finem potissimum extruuntur, ut semper, nisi fortè illas aspera Ponti includat hyems, & terreat Auiter euntes, navigent, & ex disitis regionibus necessaria nobis advehant. *l. in navem. ff. Locat. Gryph. d. tract. de Inf. c. 31. n. 48.* Unde etiam naves ire & ambulare, ac remos pro pedibus habere dicunt. Molendina verò navalia saltem ob id extruuntur, ut in flumine palis aut anchoris alligata perpetuò molant, non ut de loco in locum pro oblectatione saltem moveantur, & ambulent. Differunt etiam 2. Adjunctis & communi usu loquendi. Quæ omnia eleganter ostendit supra allegatus *Job. Hering. in d. tract. de molend. q. 8. n. 37. & 38* ad quem lectorem brevilitatis studio remitto. In genere insuper quæritur hinc: An hæ res, quæ solo cohærent, absque solo in feudum concedi possunt? Respondemus cum *Schradero de Feud. part. 3. cap. 2. n. 56. & seqq.* distinguendo: Aut hæ res à solo saltem intellectu separata, nullam omnino utilitatem afferunt, vel tantum modici temporis emolumentum continent: Aut hæ res etiam detracto solo aliquem usum vel utilitatem perpetuam, vel ad longum tempus præbent. In illis Feudum constitui non potest,

potest, e. g. cum fructus in agro pendentes, quamdiu agro si-
ve fundo cohærent, nullam omninò utilitatem adferant; à so-
lo autem separati usu consumantur, ideò in iis separatim à
solo feudum constitui non potest. In his verò omninò. Sic
superficies, vectigalia, jurisdictiones, & similia, quia, etiam
intellectu à solo separata, usum sive utilitatem aliquam præ-
bent, etiam detracto solo in feudum concedi possunt. *Zaf-
tract. d. Feud. p. 4. num. 4. & 5. 18. 29. Bald. & Matth. d. Afflict.
adh. 1x.*

(c) Accidit enim sæpè, ut illæ res, quæ per se mobiles
sunt, immobilium naturam sortiantur, idque potissimum ex
quinque causis, nimirum factò hominis legis potestate, at-
tributione seu destinatione, surrogatione & denique à subje-
cto. Hominis factò, ut adfixione, infossione, adjectione. Sic
pecunia in mensam publicam fœnebris collata seu in banchis
camporum posita, pro immobili habetur. *Gail. 2. obs. 11. Le-
gis potestate & fictione, ut cum Colonus adscriptitius glebæ
serviens pro re immobili censetur l. 3. ff. d. div. & temp. præ-
script. VVesenb. in π. ff. d. rer. div. n. 4.* Attributione seu desti-
natione, quando ea, quæ sui natura mobilia sunt, sic volunta-
te cujuslibet patrisfam. usui certo in loco certo destinantur,
ut ne inde moveantur aut exportentur, ut sunt lecti in diverso-
riis. *add. l. qui saltum, 67. in fin. d. leg. 3.* In surrogatione idem
est judicium. A subiecto denique, ut quando jura, nomina
& actiones ad rem talem vel aliam aliquam competentes pro
rebus immobilibus habemus. Unde fluunt sequentes quæsti-
ones 1. An annui reditus *Jährliche Rente und Zinsen* in feu-
dum dari possint? Respondemus autem quod sic, & quidem
indistinctè, sive ex præstatione merè personali percipiantur,
sive ex re immobili vel æquipollenti debeantur. *clém. exivi.
1. vers. cumq; annui reditus inter immobilia censeantur. d. V. S. l. ju-
bemus. 14. in pr. ibi annonas civiles. C. d. SS. Eccles. Nov. 7. in præ-
statione. ibi: civiles annonas, & ibi: inter immobilia. 2. feud. 20. ibi:
annua præstatione. Rosenthal. c. 4. concl. 5. n. 1. Diff. Gotb. Anton.
diss. feud. 3. th. 5. lit. 5. Vult. d. cap. 5. lib. 1. n. 9. & alii, quos citat
Schrader. c. 3. p. 3.* Modò annui reditus sint perpetui, vel tales,
C qui

qui non unâ aut alterâ perceptione perituri, sed quorum percipiendorum jus longo tempore sit duraturum arg. 2. feud. 44. *ibi, singulis forè annis.* Nec obstat tale argumentum: In Feudo requiritur respectu domini dominium directum, & respectu vasalli utile. c. 1. §. *de contrario, de in investit. de re alien fact.* 2. feud. 8. & c. 1. §. *imprimis, in quib. caus. feud. amitt.* 2. feud. 23. Atqui in rebus & nominibus annuis non est dominium directum nec utile l. 1. ff. *quorum bon.* E. Verùm respondemus cum *Schenck, Barone ad b. text.* loco directi domini Dominum habere actionem directam; & loco utilis domini vasallum habere actionem utilem. Vel cum *Borch. d. feud. cap. 6. num. 16.* actionem directam, quæ apud dominum remanet, esse loco proprietatis; utilem verò, quam vasallus ex Domini concessione habet, esse loco usufructus feudalis. II. An & servitutes abstractivè consideratæ possint in feudum concedi? *Rosenhal. d. feud. cap. 4. conclus. 2.* & *Borch. d. feud. cap. 6. n. 17.* indistinctè hoc affirmant. Alii distinguunt inter servitutes rusticas & urbanas; Rectius verò statuitur servitutes indistinctè non posse in feudum dari. 1. Quia res prohibita alienari, prohibetur & in feudum dari. §. 1. 2. feud. 3. Sed servitutes reales per se alienari non possunt. E. Minor probari potest exinde, quia prædiis ita inhaerent, ut ad aliud prædium transferri nequeant, nec vendi possint, nisi unâ quoque prædium distrahatur §. 3. *Inst. d. servit. l. si is qui. 11. §. 3. ff. d. pignor. l. 23. §. 3. l. 34. ff. d. servit. prædior. rustic. 2.* Quia servitutes per se consideratæ neque in bonis, neque extra bona sunt l. 1. ff. *d. usu & usufr. leg.* nec possideri vel æstimari possunt l. 14. ff. *d. servit.* E. nec in feudum dari. *vid. Finckelk. disp. feud. 3. thes. 25. Rüding. lib. 2. Q. contr. jur. feud. cap. 11. III.* Quæritur: An actiones possint esse objectum feudi constituendi? Respondetur distinguendo inter actiones vel ad rem mobilem vel ad rem immobilem competentes. In illis feudum constitui non potest; in his verò omninò. Ratio quidem dubitandi esse potest, quod actio quamdiu vasallo superest, nullos ei fructus proferat, sed ipse impensas quoque in eam facere cogatur Cum verò per actionem rem immobilem advocaverit & consecutus fuerit,

rit, actio & directa & utilis extincta erit, & per consequens
extinguetur proprietas unà cum usufructu feudali, atque ita
aut inutile erit hoc feudum, aut nullum? Verum sciendum
est, quod hoc casu non tam actio, quàm ipsa res immobilis,
propter quam actio competit, in feudum data intelligatur.
vid. Niell. disp. feud. 3. tb. 2. Zabel. Exerc. feud. 4. tb. 3. lit. d.

(d) Feudum Camerae seu de Camera est, quod con-
sistit in jure pecuniae ex Camera sive fisco domini, aut de alio
reditu pecuniario, qui in Cameram illius Domini in ferri solet,
quotannis exigenda *Zaf. p. 12. n. 21. Rosenth. c. 2. q. 75. num. 4.*
Germ. vacatur ein Cammerlehn / wenn ein Fürst einem jähr-
lich ein gewisß Geld auß der Cammer zu reichen zu einem rechten
Manslehn verschreibet. Feudum verò, Cavenae seu de Ca-
vena est, quod consistit in jure vini, frumenti aut alterius an-
nonae ex cellario seu penuario domini singulis annis exigen-
da. Cavena enim, vel ut Cujac. legit Caneva seu canua, Lon-
gobardis cellam significat teste Vult. lib. 1. de feud. cap. 8. n. 13.
eò quòd cellae vinariae in locis excavatis & subterraneis ha-
beri soleant. Contra utrumque, ejusque validitatem movet
Hottom. de feud. c. 15. tale dubium: Feudi duae sunt partes,
subjectum, (quale est praedium) & accidens, quod in jure
utendi fruendi consistit; Quomodo autem jurium feudum es-
se poterit, cum eorundem usufructus constitui non possit,
l. 1. ff. d. usufr. legat. l. 29. ff. d. usur. quippè cum ejusmodi usus-
fructus nulla sit substantia. Quare (ut concludit Hottom.) feu-
da proprie dici non possunt, nisi quorum corporea est sub-
stantia. Verum eleganter respondet Dn. Arum. p. m. disp. feud.
4. tb. 9. Quod in hujusmodi feudorum constitutione sub-
stantiae loco sit jus illud Domini, cujus vigore Dominus con-
cedit; usufructus verò factum percipiendi, quod ex Domi-
ni jure resultat. Quapropter cum Dominus ex Camera
id est, arario vel arca certam pecuniae summam, vel ex Cave-
na, frumenti vel vini certam mensuram quotannis concedit,
penes Dominum proprietas est, cum propter jus seu domini-
um, tum etiam propter rem, ex qua pecunia aut frumentum
promitur; & Dominus respectu fidei, quae ipsi debetur, videtur



quasi dominium directum retinere. *Dn. Struve disp. feud. 2. th.*
6. penes vasallum verò est usufructus, propter perceptionem
realem. De utroque autem quæritur: An sint feuda perso-
sonalia? Affirmativam fovent sententiam *Schenck. Baro ad c.*
I. d. not. feud. 2. feud. 58. num. 3. Zasius. p. 12. d. feud. n. 31. In-
trigl. cent. 1. q. 38. n. 24. (& quidem quoad personam accipi-
entis) *Cujac. 1. feud. 1. §. si verò gastaldi. Hotom. in c. unic. d.*
contr. int. episc. & vasall. 2. feud. 20. & Borch. d. feud. c. 4. n. 2.
Job. Thome de Marinis, tract. de gener. & qual. feudorum (quo-
ad personam dantis) *Zabel. Exerc. feud. 2. thes. 4. lit. c.*
(quoad utramque) moti 1. Quod feuda hæc species sint feudi
Soldatæ, quod utriusque morte extinguere certissimum est,
propter .i. *in fin. quis dic. Dux. & c. 2. feud. 10.* 2. Quod non
soleant stipendia ex Principis Camera vel publico annonæ
conditorio pro solitis feudalibus servitiis, quæ ut plurimum
fundis & prædiis remunerantur, sed frequentius vel donaria
vel pro præstitis officiis salaria solvi. Alii verò indistinctè
arripiunt negativam sententiam. 1. Quia de feudi natura
est ut sit perpetuum & ad heredes masculos transitorium,
§. fin. 2. feud. 23. quæ inesse cuilibet feudo præsumitur, nisi
consuetudine aut pacto ab eo discessum esse probetur *Hart-*
mann. Hartmann. lib. 2. pract. observ. tit. 54. obs. 10. numer. 4.
Ergo hoc etiam prædicandum est de hisce feudis, aut
exceptio probanda à dissentientibus. 2. Quod feudi-
tis in more positum sit, ut ubi feudi ex ipsa dispositio-
ne consuetudinum feudalium temporarii mentionem faci-
unt, id vel negent jure feudi censerent, vel ita depingant, ut de
impropria eius natura satis constare queat, ut videre est ex
cap. 1. §. fin. de bis qui feud. dar. post 1. feud. 1. c. un. §. fin. de feud.
guard. 1. feud. 2. c. 1. §. item si vasallus. si de invest. feud. controuv. fuer. 1.
feud. 4. c. 1. §. fin. d. feud. pign. dat. 1. feud. 11. c. 1. §. ceteri verò.
quis dic. Dux. 2. feud. 10. & in extraordinariis. tit. 81. 94. & 105.
At feudum Cameræ & Cavenæ ubivis simpliciter & absolute
feudum dicitur, ut in nostro textu, & c. 1. *§. si verò vasallus: quid*
fit investit. 2. feud. 2. c. un. de contr. int. episc. & vasall. 2. feud. 20. &
c. 1. in pr. de not. feud. 2. feud. 58. 3. propter c. un. d. controuv. int.
episc.

opisc. & Vasall. 2. feud. 20. ubi ejusmodi annuæ præstationes
quoad heredem dantis (de quo solo ibi quaestio erat) æqui-
parantur feudis propriis. vid. Goth. in not. ibi lit. c. 4. Uti si
quis stipulatus sit decem aureos annuos, simpliciter stipula-
tio perpetuatur §: at si. 3. J. d. V. O. ita res se habet cum hisce
feudis §. quia hæc opinio est in praxi recepta teste Rosenth c. 2.
q. 75. & Schneidevv. d. feud. p. 2. n. 24. ubi allegat Henning. Gœ-
den. cons. 11. qui se in specie ita consuluisse scribit. Et hæc po-
sterior priore melior est, nisi forte hujusmodi feuda sint me-
rè gratuita, aut pro mercede temporalis officii data sint arg.
1. feud. 2. tunc enim naturam feudi proprii amittunt, & fiunt
quasi impropria. Atque ita potest simul responderi ad secun-
dam diss. supra traditam rationem. Ad primam verò resp.
text. 2. feud. 10. loqui de Soldata, quæ differt à feudis, quæ
percipiuntur de Camera & Cavena. Soldata namque gratis
datur, & præcipuè senibus benè meritis, aut nobilibus ad
paupertatem redactis, exinde fit, ut hoc feudum soldatæ de-
generet à natura feudi proprii, & nec ad dantis, nec ad reci-
pientis transeat heredes, sed morte alterius extinguatur. Feu-
da verò cameræ vel Cavenæ pro solitis servitiis conferri so-
lent, & sicut alia feuda cum servitiis collata, cum persona
dantis & recipientis non expirant, ita nec hæc duo. vid. Finc-
keltb. disp. feud. 2. th. 22.

(e) Ratio 1. est, quia feudum natura suâ perpetuum
est, ut etiam ad vasalli descendentes & agnatos pertinet 2.
feud. 23. Res autem mobilis, propter continuum usum diu
durare nequit, sed usu consumitur. 2. Quia feudum est usus-
fructus. Ususfructus autem in rebus mobilibus non consi-
stit. pr. inst. d. usufr. Nec obstat 1. c. un. in fin. quis dic. dux. 2. feud.
10. Ibi enim pecunia & frumentum non considerantur ut
substantia feudi, sed ut fructus, qui quotannis ex Camera &
cavena Domini quasi fundo præstantur: Borcb. d. feud. c. 6. n.
34. 2. non obstat c. un. 2. feud. 25. in verb. vel nummos in feu-
dum dandos numeret. Hæc enim verba non indigitant feudum
in pecunia consistere posse, sed loco fundi per tertium evicti
dominum cogi vasallo nummos numerare, pro quibus rem-



Q. soli emat, quæ in feudum postea recognosci possit. Quæsti-
onis autem hæc est: An non cautionis remedio interveniente
in rebus mobilibus feudum constitui queat? Affirmativa
opinio sequentibus nititur fundamentis. 1. Cui forma com-
petit, eidem formatum competat necesse est. Huic autem
feudi constitutioni forma feudi convenit, siquidem illa est in
eo præcipuè, ut proprietas penes Dominum maneat, usus-
fructus verò in accipientem transeat, absque eo fidelitas præ-
stetur *c. un. d. form. fd. 2. feud. 6.* & hoc ipsum fit mediante
cautione *l. 2. §. 1. l. 7. ff. d. usufr. ear. rer. 2.* Quia Imp. in §. 2.
Inst. d. usufr. & Ulp. in l. 1. ff. d. usufr. ear. rer. tradunt: Quod
omnium rerum, quæ in cuiusque patrimonio sunt, usufru-
ctus constitui possit, etiamsi usu consumantur. Feudum au-
tem nihil aliud est, quàm usufructus *c. un. in quib. caus. feud.
amitt. E. 3. propter d. c. un. si de feud. vas. ab aliq. interp. fuer. 2.
feud. 25.* Negativa verò sententia sequentibus potest stabiliri
rationibus, quarum 1. Quia in nostro textu habentur ver-
ba: *non nisi*, quæ omnem rem, quæ non est immobilis, aut
rei immobili adhæret, aut ei annumeratur excludit. 2. Quod
feudi essentiæ planè repugnet proprietatem seu directum do-
minium unà cum usufructu seu utili dominio ad vasallum
transire *2 feud. 23. 3.* Quod cautio restitutionem quidem
operetur, sed non efficiat, quo minus dominium dire-
ctum verè abscedat à Domino. 4. Quod cautio ista nimis
fragilis sit quoad feudum, utpote quod non ita morte finia-
tur sicut usufructus. *vid. Schultz. in synops. feud. c. 6. n. 37. Dn.
Arum. p. m. in Exerc. feud. 4. thes. 3.* Utramque opinionem
conciliari posse putamus, distinguendo inter feudum propri-
um & improprium. Quamvis enim in ejusmodi feudo de-
ficiat adequatum subjectum, quod verè & propriè possit
qualitatem feudalem recipere, quia tamen sub obligatione
ad fidem præstandam, in qua ipsa differentia specifica feudi
consistit, pecuniam quis tenet, rectè dicitur feudum, & qui-
dem propter minus congruentem rei habilitatem, impropriū.
Deinde suo etiã modo salvã habere possunt Domini substan-
tiam rei mobilis, siquidem proprietas, fictione juris, ob
cau-

cautionem interpositam adhuc penes Dominum esse cense-
tur, ut suprà demonstratum, & heredes toties eam præstare
tenentur, quoties de novo Domino fidelitatem jurant. *vid.*
Finckelth. disp. feud. 1. th. 3. & Dn. Struve in Syntagm. jur. feud. disp.
4. th. 2. Sic etiam quæritur: An pecunia ex feudo vendita re-
ducta, & ad feudum aliud emendum destinata, pro feudo aut
re feudali sit habenda? Pro affirmativa facere videtur. 1.
Quod pretium succedit in locum rei. *si rem & pretium 22. ff. d.*
hered. petit 2. c. 1. §. profecto. quid jur. si post, alien. feud. vassal. re-
cup. 2. feud. 4. in verbis: Si quidem pro libello ei datur singulis forte
annis, & hac jure feudi censebitur. 3. Quod surrogatum sapiat
& assumat naturam & qualitatem sui surrogati. *l. 10. §. qui in-*
juriarum. 2. ff. si quis caution. Everb. in top. loc. à vi surrog. 4.
d. c. 1. 2. feud. 25. Et in hac sententia sunt *Alvarott. in d. c. 1. 2.*
feud. 25. Wes. d. feud. c. 7. n. 9. & Henning. Göd. in cons. feud. 18. n. 3. Ve-
rùm negativa sententia verior nobis videtur propter sequen-
tes rationes. 1. Quia quàm primum res mutatur, statim &
illicò forma quoque illius rei extinguitur & evanescit, ut ea-
dem amplius dici nequeat *arg. §. si tamen. 27. vers. nam extinctæ*
res. Inst. d. res div. l. 9. §. 3. in fin. ff. ad exhib. 2. Quia uti pecu-
nia, quæ transactionis nomine accipitur, feudum non est.
§. si vassallus de beneficio. 2. feud. 26. ita pecunia, quæ ab empto-
re datur pro feudo haberi non potest. 3. Quia destinatio non
habet locum, ubi factò opus est. *l. si nondum. 3. C. d. furt. 4.* Uti
pecunia ex re oppignorata redacta, pignori nexa non est *arg.*
l. quidam. ff. de in rem vers. & pecunia redacta ex venditione immo-
bilis pro re immobili non reputatur Schrad. cons. 19. n. 3. ita nec pe-
cunia ex feudo redacta pro feudo habetur. Nec obstant su-
periores pro affirmativa opinione allatæ rationes. Ad pri-
mam resp. Regulam illam locum habere in judiciis univer-
salibus & in iis rebus, quæ in pecunia numerata consistere
possunt, ut est hereditas fideicommissum. *Magnif. Dn. Franzk.*
in Exere. 4. q. 9. Ad secundam verò resp. *d. §. profecto.* esse intel-
ligendum de jure antiquo, quo feudum alienare potuit vassal-
lus jure libelli, quod postmodum fuit à Lothario abrogatum.
Et quod ibi non pensio, sed jus percipiendi pensionem jure-
feudi

feudi censeatur Ad tertiam in super rationem responderi potest, regulam illam non obtinere, si unum ex altero ortum non sit, neque surrogatur per modum successionis, ut planè prioris vicem sustineat. *Gail. lib. 2. obf. 120. n. 8.* Limitatur autem hæc decisio nostra, si pactum expressum inter partes initum, & consensu Domini approbatum sit ut pecunia ex feudo redacta pro feudo haberi, & naturam ac qualitatam feudi sortiri debeat; Tum enim pecunia ista loco feudi habetur, & ad successores feudales devolvitur. *vid. Berlub. decis. 81.*

(f) De qua in seqq. duobus agitur titulis ex professo.

(g) De qua partim supra in aliquot titulis actum est, partim adhuc in aliquot seqq. titulis agetur. Possunt autem hæc verba refutari 1. illi, qui investituram solam modum acquirendi feudum statuunt. 2. Qui Investituram, in primis abusivam, modum acquirendi feudum esse negant, de qua re paulò post in explicatione tit. seq. iumus dicturi.

QUID SIT INVESTITURA.

Tit. II.

CONTINUATIO

Quoniam in fine tit. præcedentis traditum est, feudum neminem posse acquirere nisi investitura aut successionem. Ideo hoc & seq. in titulo meritò de investitura agitur, & quoniam nemo rem aliquam cognitam habere potest, nisi sciat prius quid sit res; ideo inscriptus est tit. præsens hoc modo. Quid sit investitura;

TEXTUS.

Investitura (a) quidem propriè dicitur possessio. (b) abusivo autem modo dicitur investitura, quando hasta vel aliud corporeum quidlibet porrigitur à Domino
feudi

feudi se investituram facere dicente ; (c)
quæ si quidem ab illo fiat, qui alios habet
vasallos, saltem coram duobus ex illis solen-
niter fieri debet: (d) alioqui licet alii inter-
sint testes, investitura minimè valeat. (e)
Si enim Domino adhuc in possessione con-
stituto, an facta sit investitura quærat,ur,
non debet probare nisi per pares curtis illi-
us domus, vel per publicum instrumen-
tum à tribus vel à duobus paribus confir-
matum. (f) Nam si instrumentum defece-
rit, vel quia factum non fuerit, vel quia,
amissum sit: (g) Tunc qui probare deside-
rat, pares curiæ illius, qui interfuerint, of-
ferat, qui si denegaverint, forte corrupti
odio vel gratia seu pretio, & dicant se non
interfuisse, cum investitura facta fuerat, vel
nō reminisci, tunc Domino cogente jurent
tactis Sacrosanctis scripturis, quod hujus
rei veritatem nesciant; Et tunc actor aut ali-
os producat pares, aut jurisjurandi domino
detur electio: ut proinde juret investitu-
ram factam non esse, aut sacramentum.

D vasallo

vasallo referat, & ille aut juret, aut acquiescat. (b) Quod si jurare pares aliqua ex causa recusaverint, nec Dominus eos jurare compellat, licet vasallo etiam per extraneos probare investituram. (i) Testibus vero deficientibus jurisjurandi electio domino datur. (k)

ELABORATIO.

(a) Hoc nomen Investiture, (Quod barbarum esse, putat *Hottom. in libello de verbis feudalib. in verb. investitura* verum rectius *Cujac. lib. 8. obs. c. 14. & in com. ad tit. 3. in pr. lib. 2. feud.* autores quoque purioris latinitatis eo usos fuisse ostendit, ex eo appellatum, quod vasallus per investituram ipso feudo quasi veste quadam ornetur, uti sentit inter alios *Knichen tr. d. investit. pact. p. 1. c. 1. n. 1.*) in libris feudorum non uno accipitur modo: Interdum enim & proprie quidem eorum significat actum solennem, quo Dominus Vasallo feudum cedit, ut in *tit. preced. 1. in pr. & tit. 33. in pr. lib. 2. feud.* Nonnunquam vero denotat unam aliquam actus illius partem, puta aut traditionem possessionis rei feudalis, ut hic & in *tit. 33. in pr. lib. 2. feud.* Quandoque vero denotat verbalem tantum feudi cessionem, cum symbolo quodam conjunctam, ut hic & in *tit. 7. hujus lib. 2.* In genere autem ita cum *Bocero, in speciali tract. de Investitura* (licet *dis. Vult. lib. 1. feud. cap. 7. n. 11.* & investituram in genere considerari posse neget) defini potest: Investitura est actus Sollemnis, quo Dominus Vasallo fidelitatem promittenti feudum cedit. Genus definitionis est in *pr. b. 1.* Differentia vero specifica in illis latet verbis: *quo Dominus vasallo &c.* Per quæ distinguitur investitura ab aliis actibus legitimis seu solennibus, ut est adoptio, arrogatio. *Dis. Goth. Anton. disp. feud. 4. ib. 2.* qui investituram
per

per contractum definit. Quo ipso tamen confundere videtur
causam, seu titulum cum modo constituendi feudum. Ver-
bum autem *cedere* denotat in hac definitione non tantum
dominii sed & possessionis translationem, ita ut non opus sit
verbo confirmationis, quemadmodum vult *Arnold, de Rei-
ger, in diff. feud. 3. ib. 2.* In summa definitio hæc quatuor in se
comprehendit; testationem verbalem, & symbolicam cessio-
nem, fidelitatis præstationem & possessionis traditionem re-
alem. Hoc modo nunc in genere definita, dispescitur I.
In Propriam & Abusivam *pr. h. t.* Licet enim investitura, per
se & ratione effectus simplex sit & unica, si tamen respicias
adjuncta, alia vera erit, alia abusiva. Et quamvis non sint di-
versæ species logicæ, cum vera investitura subsequens fictam
consumat & è medio tollat, & species diversæ nunquam coa-
lescere possint, sed semper à se invicem distinctæ maneant;
Ob solennitates tamen diversas hæc divisio retineri potest.
Neque est novum in Jure, ut ratione etiam connexorum &
respectu accidentium, præsertim si ab illis diversi effectus de-
pendeant, diversæ species constituantur. *vid. Georg. Martinus
in delineat. univ. juris feud. p. (mibi) 39.* Diversus autem effe-
ctus inter alios est hic præcipuus, quod vera seu propria inve-
stitura tribuat jus in re; Abusiva verò seu Impropria Jus ad
rem. Propria est actus, quo Dominus fidelitatem sibi pro-
mittenti, solennibus legitimis, jus feudi per traditionem
constituit. Et sic definitio hæc speciei duo in se continet
1. Contractum feudalem ejusque solennem celebrationem,
& 2. Ipsam traditionem. De quibus *vid. Dn. Struv. in Syn-
tagm. feud. diff. 8. ch. 3. & seq.* Abusiva verò, quæ etiam Impro-
pria vocatur, est actus, quo Dominus signo quodam adhibi-
to coram testibus jus feudi alicui, fidem promittenti, quasi
cedit, & in Vasallum eum recipit. Solennitas ergò hujus in-
vestituræ respectu investientis in duobus consistit. 1. In ipsa
quasi cessione seu abusiva, ut textus loquitur, seu impropria
traditione, quæ expeditur verbis investientis, ac aliquem
in vasallum recipientis porrectione cujusdam signi aut sym-
boli, quo jus feudi & res feudalis solennitatis causa repræ-
sentan-



sentantur. 2. In duorum testium adhibitione. Sed respectu feudum acceptantis, in fidei promissione coram paribus curiæ faciendam, vel cum, vel sine jure jurando. In quibus autem fides ista consistat, infra in explicatione tit. 6. & 7. hujus lib. 2. demonstrabitur. De hac autem abusiva investitura quæritur; An jus in re tribuat, sive ipsum jus feudi; an verò solùm jus ad rem? Prius affirmat cum *Duaren. de feud. c. 7. Finckelth. disp. feud. 7. controuv. 3. 1.* Quia textus juris feudalis generaliter & indistinctè loquuntur, feudum ipsum acquiri investiturâ. *pr. b. tit. pr. tit. 33. lib. 2. feud. tit. 88. lib. 2. feud. princ. tit. 14. lib. 1. feud. 2.* Quia in text. 2. feud. 8. vers. rei autem. dicitur, quod vasallus investitus tanquam Dominus possit rem feudalem à quolibet possessore sibi quasi vindicare. E. per investituram quasi dominium acquisivit, aliàs rei vindicatio ei non competeret. *l. in rem actio. 23. ff. d. rei vind. §. 1. Inst. d. Act. 3.* Quia quasi seu ficta traditio æque ut traditio propria dominium transfert *l. quod sit 14. ibi: videri trabes traditas, quas emtor signasset. ff. d. peric. & comm. rei vend. §. item si quis merces. 45. Inst. d. R. D.* ubi traditione clavium & instrumentorum dominium transfertur *l. pecuniam 79. ff. d. Sol.* Sed investitura abusiva est quasi & ficta traditio, quia non res ipsa, sed symbolum aliquod, puta hasta porrigitur & traditur. E. per investituram abusivam æque acquiritur, ut per propriam. 4. Quia investitura, ante traditionem possessionis, vel facit, ut res infendata sit feudum; vel non facit. Si non facit, nihil illa investitura à nuda feudi promissione differet, quod est absurdum. Si facit, uti probatur per textus 2. feud. 88. 2. feud. ff. §. si facta. Utique accipiens non alius erit, quàm vasallus Domini; sunt enim correlata. Si vasallus est, certè jus in re feudali obtinebit. Illud autem non aliud, quàm jus utendi sub fidei conditione 2. feud. 23. in fin. Posterius verò *Rosenth. c. 6. concl. 6. n. 7. Matth. d. Afflict. in c. 1. d. nov. form. fidel. §. investit. n. 2. & Henr. Zoësius tract. feud. c. 6. n. 6. 1.* Quia cum in jure feudali non sit specialiter dispositum absque traditione dominium utile sive jus feudi transferri, observanda erit juxta vers. strenuum tit. preced. regula juris civilis, quod sine traditi-

one

one dominium aut aliud jus in re non transferatur. l. 20. C. d. pact. Investitura autem abusiva traditio non est, nec loco traditionis habetur, §. 1. 2. feud. 7. §. si facta 26. ubi investitura à traditione, manifestè distinguitur. Id quod etiam 2. ex. inde patet, quod Dominus vasallum investiturâ abusivâ factâ in possessione mittere teneatur d. §. si facta. E. dominiû illâ investiturâ rectè translaturâ dici nequit, quoniâ illud ex possessione oritur l. 1. §. 1. ff. d. acquir. poss. 3. In hoc n. textu expressè hæc constituitur differentia inter propriâ investiturâ & impropriâ seu abusivam, quod per illam transferatur possessio; per hanc non item. Vid. Dn. Arum. p. m. Disp. feud. 5. thes. 9. Et hanc posteriorem opinionem nos arripimus, imprimis quoniam facile ad rationes prioris sententiæ responderi potest. Primam enim quod attinet, dicimus, non sequi: in hoc vel illo textu generaliter dicitur, quod investiturâ feudum acquiratur. E. etiam abusivâ investitura tribuit dominium utile seu jus feudi: Generalitas enim, quæ in allegatis textibus reperitur, in hoc nostro textu restringitur ad veram seu propriam investituram. Nec rarum est, ut quod in uno textu generaliter traditur, in alio textu restringatur. Quod 2. in d. tit. 8. lib. 2. feud. dicitur, quod vasallus investitus possit rem vindicare à quolibet possessore, id accipiendum est de eo casu, quando propriè Dominus vasallum investivit, isque postmodum feudi possessionem amisit. Ad tertiam verò rationem resp. quod porrectio hastæ & similibus, quæ in ritu adhibentur, non potest ad fictos tradendi modos referri, sed solum solennitatis causa intervenit; ut supra demonstratum. Imò ipsa symbola ostendunt, iis non significari veram traditionem, cum illorum longè alia sit ratio atque conditio, quam istorum, quæ in legibus à d. ff. supra ex jure civili allatis, habentur. His signis enim ad rem spectantibus res ipsa signata præsens conceditur & occupatur; illis verò symbolis, ut pote ad rem non pertinentibus, imaginariè res absens solennitatis causa repræsentatur, sicuti aliàs in actibus solennibus aliis varii ritus adhiberi solent. Et licet aliquando traditio rei concurrat cum investitura abusiva, ut si in re præsentis constitutus

Dominus investituram abusivam peragat, & rem simul modo aliquo tradendi tradat; tunc tamen non per solam investituram abusivam, sed junctam traditionem, atque ita per plenum actum investituræ, sive investituram propriam feudum constituitur, & acquiritur *d. 2. feud. 33.* Quartam denique quod attinet rationem, sine absurditate dicimus, abusivam investituram à promissione feudi ratione effectus parum differre. Vel esse illam nudæ promissionis antea factæ confirmationem. Conciliare quidem tentat *Bocer. in tr. d. investit. c. 2. num. 73.* duas hasce diversas sententias distinguendo inter genera abusivæ investituræ, quorum duo constituit; Unum, quo possessio rei feudalis non propriè & verè, sed quasi ac fictè vasallo traditur; ut cum Dominus adhibita investituræ solennitate, jubet vasallum ire in possessionem prædii feudalis, & illud pro feudo tenere. Et hac investitura Vasallum non modo jus consequi putat apprehendendi possessionem rei feudalis, sed & feudum ipsa apprehensione verè acquiri. Alterum, cum vasallus quidem solenniter investitur puta coram paribus curiæ & porrecto ei quodam feudi symbolo veluti gladio, vel hasta, vel annulo, aut alio quomodo corporeo, ac dicente Domino, se investituram facere, verum nulla rei feudalis possessio in eum transfertur, multò minus utile dominium. Sed videtur *Bocerus* confundere veram seu propriam investituram cum abusiva, & præsupponere, quod adhuc in controversia est. II. Dividitur à *FF.* investitura ratione objecti in eam, quæ est Veteris beneficii; & eam, quæ est Novi beneficii, quæ prior etiam vocatur Renovatio investituræ. De qua divisione jam supra actum est, & infra in explicatione *tit. seq.* ulterius acturi sumus. III. Dividitur Investitura in simultaneam, & singularem sive non simultaneam. Quam explicaturi sumus infra *ad tit. 12. § 18 lib. 2. feud.*

(b) Hæc oratio metonymica est. Ipsa enim investitura non est possessio, quippe cum investitura sit ipsa cessio sive traditio possessionis rei feudalis. Et sic est hîc metonymia subjecti, cum subje&um traditionis, ipsa scilicet possessio pro adjuncto, puta cessione sive traditione ponatur.

(c) Volunt



(c) Volunt nonnulli hanc investituram potius vocare impropriam, quam abusivam. Verum in re ipsa nihil ferè differre videntur, aliquid dici improprie vel abusive: Quod enim abusive tale est, illud etiam improprie tale est. Aliàs quoad signa, quibus in hac investitura utitur investiens, bene notanda est distinctio inter investituram feudi secularis & Ecclesiastici. In hujus feudi investitura adhibetur annulus, baculus, virga, sceptrum & liber, teste *Goldast. in ration. ad constit. Imper. Otto, Frising. chron. 17. c. 14.* Olim in Vandalicorum episcopatum investituris chirothecæ adhibebantur, ut scribit *Krantz. in metrop. lib. 4.* Quoad illam verò feudi investituram subdistingvendum inter feudum Regale & non-regale. In illius investitura adhibentur vexilla, in quibus regionum, de quibus fit investitura, insignia solent esse depicta; unde quoque dicuntur *Fahnenlehn*. Quæ vexilla investituræ peractâ in populum projici solent. Nonnunquam etiam enses adhibet & porrigit, cujus capulum is qui investitur, apprehendere atque extremum ejus osculari necesse habet. Et hoc fit, teste *Limnao lib. 4. c. 7. p. 32.* quando per legatos Principes feudorum investituras suscipiunt; Ubi insimul scribit: Osculum hoc gladii porrectivafalli onus denotare, quod hoc ipso jurisdictionem senioris, quam gladius exprimit, reverenter agnoscere velit. In Feudi verò non regalis investitura adhibetur hasta vel aliud quidlibet corporeum signum, pro diversalocorum consuetudine; juxta nostrum textum. Quæri autem hîc commodè potest: An utraque investitura ad feudiplenariam constitutionem sit necessaria? Utrius initium fiat, distingvimus. Si propriæ, imaginaria non est necessaria, quæ nihil, quod non ante nostrum sit, potest conferre. Sin alterius, missio in possessionem ad rei consummationem adhuc desideratur, vid. *Gotthfr. Anton. disp. feud. 4. thes. 3. inf. ubi etiam Jacob. de Bello visu ad tit allegat.*

(d) Ratio hujus rei supra est tradita. Limitatur tamen hæc assertio notabiliter; Si consuetudo loci aut statutum admittat, ut extranei ad investituram adhibeantur testes. Quæritur verò hic: An, sitempore investitionis, pares curiæ

sint inhabiles & minus idonei, puta pupilli, minores aut furiosi, possint extranei testes adhiberi? Resp. *Bocerus, in tr. de investit. capit. 4. n. 65. in fin.* quod non, sed tutores vel curatores eorum sunt adhibendi. 1. Quia aliàs tutores vel curatores sunt loco Domini in rebus pupillorum & minorum *l. tutor. 27. ff. d. admin. & peric. tut.* 2. Quia tutores & curatores vasalli absque mandato fidelitatis iuramentum nomine pupilli vel minoris præstare possunt. *Jacobin. d. S. Georgio in tr. feud. in verb. qui quidem investiti num. 12.* Et ita quæ ratio desiderat pares, illa etiam admittit vasallorum tutores & curatores. Inprimis quia tutores & curatores speciali iuramento ad tutelam sunt obligati. *Reichs Abschied de anno 1577. tit. Von der Pupillen und minderjährigen Kinder. &c.* Verum verior nobis videtur *Schraderi* opinio affirmativa. Quoniam paria sunt inhabile esse, & non esse *arg. l. 6. ibiq. Gl. ff. qui satis d. cog.* Nec infringunt illam *Boceri* argumenta. Ad primum enim resp. negando consequentiam, cum Testimonium in investitura ferre separatim planè quid sit ab administratione bonorum. Ad 2. verò resp. illationem itidem fieri à separatis, quia alia ratio est in præstatione iuramenti fidelitatis, quod nec de feudi, nec investituræ substantia vel solennitatibus substantialibus est *per c. investitura tit. seq.* alia ratio testimonii, quod vel à Paribus præstari debet, quales tutores non sunt, vel arbitrio Domini relictum videtur, ut quosvis modò idoneos adhibere possit, *per v. notandum S. quod autem. de not. feud. 2. feud. 58.* Ad tertium denique respondetur negando consequentiam; quoniam non sequitur, obstricti sunt iuramento tutores ad res pupillorum fideliter administrandas. E. aliis in testimonio sunt præferendi. Nam ratio, quæ pares curiæ præ aliis exigit, in tutoribus omninò cessat, cum ipsi Domino feudi obstricti non sint, uti manifestum est.

(e) Id est, ad minimum coram duobus paribus curiæ fieri debet. Nam ubi testium numerus definitus non est, duo sufficiunt; cum pluralis locutio duorum numero contenta sit. *c. notandum. S. quod autem d. not. feud. 2. feud. 58. & l. 12. ff. d. test.* Aliàs quod pares curiæ hinc sint necessario adhibendi,

hibendi, id adeò verum est, ut, etiamsi 1. Dominus fateatur investituram factam, tamen ad acquisitionem novi feudi hoc non sufficiat. *c. sive clericus. 2. feud. 32.* quoniam solennitas ista jure publico introducta ne ab ipso quidem volente Domino omitti potest. *arg. l. jus publicum. 38. ff. d. pact. 2.* Etiamsi à Domino juramento confirmetur investitura sine paribus Curia facta, cum juramentum sequatur naturam actus, cui accedit, & actum ipso jure nullum confirmare nequeat *l. 5. C. d. LL.* tam de jure civili quàm Canonico, teste Covarruv. *in c. quamvis. part. 2. §. 6. num. 2.* Nec obstat *l. 1. & Auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vend.* quibus movetur *dis. Schraderus d. c. 2. n. 9.* Resp. enim, eas loqui non de contractibus ipso jure nullis, sed iis, qui jure valent, rescindi tamen ob causam aliquam possunt, cujusmodi sunt contractus à minore curatorem non habente celebrati. *Don. lib. 21. com. jur. civ. c. 13.* Quid verò dicendum, si extranei, qui tempore investituræ omnium opinione pro paribus curiæ habiti fuerunt, errore quodam adhibiti sint, an investitura nihilominus subsistat? *Alvarott. in c. ex facto. n. 1. l. 19. feud. lib. 2.* quem sequuntur *Schrader. d. c. 2. num. 21. & Bocer. d. cap. 4. num. 66* opinantur, quod sic. 1. propter *l. Barbarius. 3. ff. d. offic. Præter.* ubi valet sententia lata ab eo, qui errore hominum pro libero homine habitus fuit, cum tamen reverà servus fuerit. 2. propter *l. 1. C. d. restam.* ubi testamentum valet, in quo servus testis adhibitus fuit, qui tempore conditi testamenti omnium opinione pro libero homine habebatur; cum tamen aliàs servus in testamento testis esse nequeat *l. qui testamento. 20. §. 7. ff. qui testam. fac. post §. testes 7. d. testam. ord.* 3. Quia etiamsi testis in judicio esse prohibeatur servus *l. 11. junct. Auth. si testis. C. d. testib.* tamen si tempore attestationis omnium opinione habitus fuit pro homine libero, valet ejus depositio. Sed negativa sententia verior nobis esse videtur, tum quod omissio solennitatis, qualis hic est præsentia parium curiæ, vitiet ipsum actum, etiamsi in parte minima sit. *arg. l. Julianus. 9. §. sed si quis. 3. ff. ad exhib.* Tum quod servus ex errore domini de feudo investitus inutiliter investitus sit. *c. investitura. §. 1. vers. personam. per quos fias*

E

investis



investit. 2. feud. 3. Tum quia non magis opinio communis mutare solennia juris potest, quam ignorantia & error alicujus privati. Et hanc opinionem fovent quoque; *Hieron. Pantzschm. quest. 23. num. 9 lib. 2. & D. Ludw. in synopsis feud. cap. 8. p. 179.* Ad primum autem *Disf.* fundamentum respondemus in illa *leg. 3.* ea, quæ à servo. Prætorè gesta sunt, non propter errorem communem, sed utilitatem publicam, favorabiliter sustineri & confirmari. *Ant. Fab. in Jurispr. Papin. ad tit. d. just. & jur. pr. l. illat. 3.* quod ad nostram quæstionem referri nequit. *Ad. d. l. 1. C. d. testam.* verò dicimus cum *alleg. Dn. Ludw. ibi Imp.* ex liberalitate suâ testamento, quod aliàs procul dubio nullius momenti futurum erat, succurrere, & ex singulari humanitate contra rigorem juris illud sustinere *§. sed cum. 7. Inst. d. test.* quod propterea ad consequentiam trahi non debet, contra *l. 14. ff. d. LL.* Ultimum tandem fundamentum quod attinet, illud nihil facit ad rhombum, negamus enim, quòd testimonium servi pro libero homine habitum, vim probandi habeat.

(f) Probare autem meritò debet hîc is, qui à Domino possessore fundi litigiosi illum tanquam feudalem petit, dicendo se de illo investitum esse, siquidem actor regulariter probat, non possessor. Et debet probatio hæc juxta nostrum textum fieri vel testibus, vel instrumentis. Nam quamvis nonnulli existiment testificationem hanc non nisi testibus adhibitis fieri posse; verius tamen est, tam instrumento, quam testibus eam rectè fieri. Nec obstat *c. sive clericus. 2. feud. 32.* Respondetur enim, ibi non excludi quodvis instrumentum, sed illud tantum, quòd à Paribus Curia confirmatum & subscriptum non est, *Bocer. d. tr. c. 4. num. 51.* Instrumentum insuper hoc publicum vocatur, aliàs in Jure feudali breve testatum, ut supra quoque traditum. Et hîc de illo notandum, quòd tunc demum valeat, ac vi probandi polleat, quando juxta nostrum textum à duobus vel tribus paribus subscriptione confirmatum est *c. sive clericus. 2. feud. 32.* Aliàs in quæstione adhuc est: An etiam extranei breve testatum in vim probandi subscribere possint? Nam *Zasius in epit. feud. p. 6. n. 3. & Cujac. ad. d. n. um*

d. n. text. opinantur, in brevi testato testes quosvis etiam extraneos sufficere per *d. c. sive clericus vers: consules tamen. 2. feud. 32.* Verum aliud nos docet *1. text9* noster, ubi hæc habentur verba: à tribus vel duobus paribus confirmatum. *2. d. c. clericus vers. sed si alii. in fin. ubi* breve testatum non admittitur, nisi à duobus paribus confirmatum. Nec movere aliquem debet, ut contrariam arripiat sententiam, *d. vers. consules autem.* Quoniam de Mediolanensium consuetudine loquitur, quæ in ipsorum tantum Curia recepta est, ut ex ipso textu haud difficulter colligi potest. Nam postquam regulam Feudista proposuit, breve testatum non nisi paribus confirmatum valere, exceptionem quoad Curiam Mediolanensium subjicit, uti ad illum textum tradit *Alvarottus. n. 2. vid. Bocer. d. c. 4. n. 73. Hunn. d. feud. c. 11. & Dn. Ludwell. d. c. 8.* Hodie tamen præsentia parium Curia vel aliorum testium necessaria non videtur, sed sufficere breve testatum solâ confessione Domini atque sigillo etiam absque testibus confirmatum, docet *Hartm. Pist. lib. 2. part. 2. q. 30. n. 11.* Modo in ipso instrumento dicatur, cuius sit sigillum, & in quem finem sit adjectum. *Bocer. d. c. 4. n. 76.*

(g) Huc repetenda sunt ea, quæ tradidimus supra ad *tit. 26. lib. 1. feud.*

(b) Vide, quæ scripta sunt supra ad *tit. 23. lib. 1. feud. lit. c. & e.*

(i) Cujus rei ratio supra *tit. 23. lib. 1. feud. in fin.* est tradita, ne scilicet veritas denegetur vel occultetur. Sic etiam aliàs in causis civilibus, quando testes sat habiles haberi nequeunt, in casu necessitatis admittuntur testes minus habiles.

(k) Et hoc facit possessio, in quâ Dominus est constitutus; uti enim in dubio pro possessore sententionandum, ita etiam in dubio possessori juramentum litis decisorium est deferendum.

TEXTUS.

SI verò vasallus quidem possideat, (a) vel si feudum cameræ aut cavenæ, in duabus



feu tribus acceptionibus quietis quasi possi-
deat: (b) Dominus autē feudū negans esse,
rem suam petat: vel quod de camera vel de
cavena bis vel ter (sicut diximus) jam solu-
tum est, deinceps solvere renuat, (c) tunc
non est opus probatione, sed possidenti da-
ta electione, aut juret suum esse feudum re-
ctum; (d) aut Domino referatur jus juran-
dum. (e) Si autem investitura ab eo, qui va-
fallos non habebat, dicatur facta, tunc per
quoslibet idoneos testes, aut per publicum
instrumentum probari potest: aut inopiā
probationis emergente res decidatur per
jusjurandum. (f)

ELABORATIO.

(a) Agitur igitur in hoc versiculo de casu à præce-
denti diverso, ubi nimirum vasallus est in possessione rei vel
corporalis vel incorporalis, & sic etiam diversa est decisio,
quod nimirum vasallus ad jusjurandum decisorium sit ad-
mittendus, possessio siquidem rei feudalis magnam pro va-
sallo importat præsumptionem, & quidem talem, quod feu-
dum, quod possidet, sit verum, rectum ac perpetuum; non
verò temporale.

(b) Feudum Camerae & Cavenae quid sit, supra in tit.
1. hujus l. 2. demonstratum. De utroque autem quaeritur adhuc:
2. An à Feudo Soldatae, quod describitur in c. 11. in fin. quis dic.

Dux



Dux, Com. 5 c. 2. F. 10 differant, ita ut illa sint propria, hoc vero improprium? Negativam multi sovent sententiam, ut *Andr. de Ifern. in c. 1. de Feud. March. num. 3. Borch. de Feud. cap. 4. n. 29. Blancus in Summ. tit. de quib. feud. non success. & Vultei. lib. 1. de Feud. c. 8. num. 15* moti. Quod feuda hæc species sint Feudi soldatæ, *d. c. un. in fin. quis dic. Dux & 2.* Quod non soleant stipendia ex Principis Camerâ vel publico annonæ conditorio pro solitis illis feudalibus servitiis, quæ ut plurimum fundis & prædiis remunerantur; sed frequentius vel donaria vel pro præstitis officiis salaria solvi. Horum autem Feudorum possessio juxta n. text. acquiritur, si Dominus tribus vicibus alicui tanquam vasallo suo certam quantitatem pecuniæ vel frumenti ex Camerâ vel Cavenâ suâ solverit, quâ possessione acquisitâ Dominus in perpetuum hoc facere tenetur. Si verò detracto ære alieno nihil in Camerâ vel Cavenâ reperitur, Dominus Feudi non obstrictus est vasallo quantitatem annuam ipsi promissam solvere, quod ita tamen intelligendum, quamdiu nihil in Camerâ vel Cavenâ reperitur; Si autem postea Camera & Cavena Domini pecuniâ vel frumento abundare cœperit, non tantum quantitas promissa sequentium annorum, sed etiam præcedentium integrè vasallo solvenda est, *arg. c. 1. in pr. de not. feud. 2. Feud. 58.* Et sic procedit quoque hîc vetus illud dictum: quod differtur, non aufertur.

(c) Et ita turbet Vasallum in possessione. Unde etiam ei spoliato instar usufructuarii datur interdictum possessorium. *arg. l. 3. §. cum procurator. vers. unde vi. ff. de vi & vi arm. Schenck Baro ad h. tit. num. 3.* Nec obstat, quod ex diuturna præstatione seu perceptione non acquiratur jus in futurum. *l. Sic certis annis. 28. C. de pact.* Sciendum enim est, quod ibi fuerit facta præstatio ex titulo penitus imperfecto. Hîc autem ex perfecto, qui præcessisse præsumitur, postquam ipse vasallus, tanquam investitus est in possessione ipsius feudi per binam aut trinam perceptionem quietam, h. e. sciente & consentiente Domino factam, & servitia vasallitica præstitit; prout in simili constitutum videmus in *l. 1. C. d. Fideic.*

E 3

(d) Per



(d) Per hoc vocabulum (rectum) colligere licet etiam in hisce Feudis esse rectitudinem; & per consequens esse feuda propria, non verò impropria, uti communiter opinantur Feudistæ. 2. Quod sacramentum cum præsumptione possessionis vel quasi, suppleat defectum solennitatis. Obstat aliàs huic assertioni, quod videlicet vasallus turbatus in possessione, jurare debeat, l. si quis §. sed hoc C. de præscr. 30. ann. Verùm rectè resp. Bald. adh. n. tx, quod illa lex loquatur de vera spoliatione; hinc verò agatur de ficta. Quæritur hinc: An indistinctè pro vasallo contra Dominum in dubio investituræ interpretatio fieri debeat? *Vult.* lib. 1. de Feud. cap. 7. num. 56. qui sequitur *Menoch. de præsumpt. l. 3. præsumpt. 92.* & *Wesemb. de Feud. c. 7. n. 24.* hoc quidem vult. Verùm ex nullo solido fundamento. Rectius ergò distingvimus cum *Bocero de Feud. c. 5. num. 107.* Aut controversia est de verbis investituræ, quibus onus aliquod imponitur vasallo præter Feudi naturam, & Domini jus augetur. Et hoc casu facienda est interpretatio contra Dominum, qui sibi imputet, quod legem contractui non apertius dixerit. *arg. l. 39. ff. de pact.* cum in dubio vasallus se ad id, quod minus est, censetur obligasse, & sic etiam in n. tx. admittitur ad jusjurandum; Aut controversia est de pacto, quo Domino jus minuitur, & vasalli augetur. Et hoc casu illa interpretatio est adhibenda, quâ minus receditur à jure Domini, aliàs secundum propriam feudi naturam ipsi competente, quia itidem se ad minus verbis ambiguis censetur obligasse, & vasallus majus quid exigens, utpote verbis iis non expressum, petere non potest: ac imputet suæ imprudentiæ vasallo, quod non melius sibi providerit, & promissionem, quam ipse intendit, curaverit clavis verbis exprimi, ut inde etiam de mente Domini promittentis potuerit constare *arg. l. 99 ff. de V. O.*

(e) Si nimirum Dominus prius vasallo detulisset jusjurandum. Aliàs potest etiam judex Domino non possidenti juramentum deferre, si videlicet pro Domino sint aliquæ præsumptiones juxta ea, quæ tradit *Alvarottus ad h. n. tx. n. 4.*

(f) Hinc referenda sunt ea, quæ dicta sunt supra ad

tex-

textum proximè præcedentem *tit. 1.* Debet autem iudex bene
perpendere, cuinam jusjurandum sit deferendum, Domino,
an Vasallo, prout docet *Alvarott. ad b. ix. num. 4.*

TEXTUS

PRæterea si aliquis tenor præter commu-
nem feudi rationem in investitura à
Domino dicatur intervenisse: (a) vel si di-
catur feudum sub tali conditione dedisse,
ut vasallus in festivis diebus vadat cum uxore
sua ad ecclesiam, (b) omni facultate pro-
bandi Domino ademtâ, (c) habeat vasal-
lus potestatem defendendi se per Sacramen-
tum. (d) Item si vasallus pactum spe-
ciale contra feudi consuetudinem allegat;
(e) velut de filiarum successione: (f) lice-
at ei tenorem, si potest, sicut investituram
probare, (g) quod si in probatione defece-
rit, vel cessaverit, (h) concedatur Domino
hoc denegare jurejurando præstito. (i)

ELABORATIO

(a) Hæc verba occasionem præbent tractandi de pa-
ctis feudalibus, seu investituræ feudi adjectis, quibus regulari
feudi naturæ vel aliquid additur vel detrahitur, & quæ ante o-
mnia sunt inspicienda. De illis verò in genere sciendum est,
quod

quod quædam pugnent contra substantialia vel essentialia
feudi, & prorsus non sunt attendenda, sed vitiant feudum vel in-
vestituram feudi, ac faciunt, vel ne sit univoca feudi species, sed
feudum improprium, vel aliud planè jus constitutum. Hujus-
modi pactum est 1. quo fides Domino vel vasallo remittitur. Li-
cet enim multi, inter quos etiam est *Dn. Arum. p. m. Exerc. feud.*
1. thes. 41. statuunt, tale pactum efficere, ut prorsus nullum ne-
gotium contractum esse censeatur 1. quod ipsi juri ac bonis
moribus videatur contrariari ejusmodi pactum, quo fides re-
mittitur, cum isto perfidia videatur concedi & perinde sit, ac
si convenerit, ut ob feloniam non revocetur feudum, nec alio
modo vasallus puniatur. 2. propter *l. non solum. ff. d. O. & A.*
ubi traditur, quod in eare, quæ ex duorum pluriumve consen-
su agitur, omnium voluntas spectetur; procul dubio autem in
hoc actu talis est cogitatio, ut nihil agi existiment, apposita
ea conditione, quam sciunt esse contra jura, 3. Quia, qui ali-
quod negotium, quod solum contrahere voluit, inutiliter agit,
omissa scilicet ejus substantiâ, is non modò idem illud negotium
frustra & inutiliter tractat, sed & nullum aliud negotium con-
ficere in eo ipso censeatur, *l. 1. §. 4. ff. d. const. pec. & l. 1. §. 2. ff.*
d. V. O. Tamen contraria sententia verior est, 1. Quia non est
contra jura, utile dominium alteri contractu quodam absque
obligatione ad fidem præstandam concedere, e. g. si quis alicui
rem in feudum ea conditione concedat, ut is ipsi inde certam
annuam pensionem præstet; quia hoc negotium non tantum
feudo, sed etiam emphyteusi convenit; ideò si hoc casu sit ad-
jectum pactum in feudi concessione, ne is, qui feudum accipit,
ipsi ad fidelitatem præstandam obstrictus sit, hic contractus
feudalis in emphyteusin transformatur. Licet ergò hic contractus
nò possit valere ut feudalis, tamè valet ut alius. Quod confirma-
ri 2. potest per *§. item is cui. in fin. Inst. quib. mod. re. contr. obl.*
& l. 1. si vestimenta ff. depos. ubi imp. & Jctus decidunt, cum sub-
stantiale commodati & depositi sit, ut sint gratuita, si is, qui rem
certam custodiendam recipit vel commodato dat, paciscatur
cum deponente vel commodatario, ut is ipsi pro custodia vel
usu rei certam pecuniam numeret, ex hoc negotio non depositi

ve

vel commodati, sed locati obligationem oriri. Idem vult l. 2. in pr. ff. si cert. pet. Nec aliquem movere debent, quæ à dissentientibus sunt allata. Ad 1. enim resp. distinguendo inter Fidem communem, quam homini homo debet arg. l. 3. in fin. ff. d. 7. & 7. & specialem, quæ singulari contractu feudali promittitur. Illius remissio præberet occasionem ad delinquendum; atque hac verò utiq; rectè potest jus quoddam ab altero in alterum transferri. Ad 2. verò resp. Vel pactum planè est contra jura, & manifestam continet iniquitatem, & tale pro non adjecto habetur juxta l. 27. §. 3. de Pact. l. 29. §. 2. pro Soc. vel pactum non contrariatur juri & tunc est aut præter, aut contra Essentiam. Illud contractum vel jus alterat, non tamen efficit, ut alius planè contractus vel jus constituatur l. 24. l. 26. §. 1. Depos. Hoc verò ita transformat jus, vel contractum, ut alius planè contractus vel jus inducatur. arg. l. 80. ult. de §. contr. empt. & tale est pactum, de quo nobis hîc sermo. Ad 3. resp. distinguendo; Aut hoc, quod inter partes actum est, ad nullum alium contractum producendum efficax est, & tunc vel constat, partes omninò voluisse feudi contractum celebrare, & hoc pactum omninò rejicitur, vel pro non adjecto habetur; vel de hoc non constat liquidò, & totum hoc negotium inter partes celebratum nullum redditur, nec ex eo contractus Feudalis vel ullus alius sequitur; Aut ad alium contractum producendum efficax est, uti in præcedentibus per exemplum ostendimus, & tunc pactum hoc adjectum, non facit negotium gestum ipso jure vel prorsus nullum. Alterum pactum contra Essentialia Feudi est: Quando ita convenit, ut in Vasallum transferatur plena proprietas, sive plenum Dominium directum & utile, quod in usufructu consistit. Talis enim conventio mutat vel alterat feudi substantiam, posito videlicet, quod feudi genus sit usufructus, id quod etiam expressè scriptum reperitur 2. Feud. 8. §. ult. & 2. Feud. 48. in verb. licet propriam Feudi naturam non habeat (ubi verbum naturæ essentiam denotat vid. Dn. Struve in Syntagm. Feud. disp. 2. ib. 4.) Zasius tr. feud. part. 1. num. 8. Vultej. lib. 1. feud. c. 8. n. 8. Dissent. Schrad. de Feud. p. 2. c. 2. num. 29. & seqq.

F

1. Quia



1. Quia vasallus alii utile suum dominium concedere potest sub infeudando, c. 1. §. 1. *infr. per quos fiat invest.* & tamen non habet directum dominium, multò minùs illud retinet. 2. Movetur Schraderus, quod hæc sua opinio sit communis. Verum ad primum resp. exindè non concludi, quod in vasallum possit dominium plenum transferri, quippè cum subvasallus nihil aliud habeat, quàm utile dominium. Sed id tantum inde sequitur, quod etiam is, qui utile solùm dominium habet, possit id rursus in alium transferre, id quod non habet dubium. Vel distingvendum est inter dominium utile superius & inferius: illud vasallus alium de feudo subinvestiens retinet, ac respectu inferioris directum dominium dici posset. Hoc verò transfert ad subvasallum. *Facult. Jurid. Ingolstadt. in consilio quodam in causa Waldeck contra Hessen quod exhibet Klock in cons.* Ad secundã resp. non sequi, hæc opinio est communis, ergò vera; Ut plurimum enim communis opinio est falsa. Quædã insuper sunt pacta Naturalia feudi seu qualitates juris autoritate feudo inditas concernentia, de quibus in nostro textu ex parte agitur, ubi natura Feudi, communis Feudi ratio, item. Feudi consuetudo vocatur. Et hujusmodi naturalia feudi sunt 1. Quod Vasallus debeat præstare juramentum fidelitatis. 2. *Feud. 3. in fin.* 2. quod sit Vasallus obstrictus ad servitia Vasallitica. 2. *Feud. 23 in fin.* 3. quod Feudum transeat in successores. *d. tit. 23.* 4. Quod soli masculi in Feudo succedant. 5. Quod in alienatione Feudi paterni consensus agnatorum sit adhibendus 2. *Feud. 39. pr.* Quæ omnia naturalia salvâ Feudi Essentiâ ab eo abesse, & pactis inter Dominum & Vasallum initis tolli vel iminutari possunt. Sic in nostro textu pacto contra naturam feudi cautum reperitur, ut & fœminæ in feudo succedant. Quædam denique pacta respiciunt feudi accidentalialia, seu quæ neque sunt de substantia contractûs feudalis, neque tacitè contractui feudali insunt, sed ita demum Vasallus ad eos obligatur, si de iis expressè actum fuerit, ut puta, si Dominus eo pacto Vasallo feudum concedat, ut is uxorem suam festis diebus in Ecclesiam comitetur, quale habetur in nostro textu. Et de his

his ut & proximè præcedentibus pactis pro regula obser-
vandum 1. quod statim ab initio, ubi contractus feudalis
celebratur, sint apponenda à Domino. At ubi semel hic
contractus perfectus est. Dominus Vasallo invito, & vicissim
Vasallus invito Domino pactum aliquod apponere nequit.
vid. Vult. lib. 1 de Feud. c. 7. n. 55. vers. porro. 2. Quod tenor
eorum ante omnia sit spectandus juxta n. text. & 2. F. 104. c.
unic. de duobus fratribus. Nec obstat l. 7. §. generaliter de pact.
ubi pactum, quod est remotum à jure communi, non esse
observandum, scribitur. Resp. enim, nos hîc loqui de pactis,
quæ sunt præter communem dispositionem juris feudalis, ita
tamen, ut à jure Feudali non reprobentur. Opposita verò
lex loquitur de pactis, quæ sunt contra leges, vel à legibus
reprobantur, uti sunt pacta turpia, de quibus quæritur: An
faciant investituram ipso jure nullam? Ad quam quæstio 2.
nem putamus cum Schradero *de Feud. p. 2. c. 2. n. 26. & seq.* re-
spondendum esse distingvendo: Aut jam tradita est res feu-
dalis, & investitura vera & propriè sic dicta facta est, & hoc
casu pactum quidem est ipso jure nullum, feudum tamen
traditum propter hanc causam revocari non potest; tùm quia
modus illicitus contractum traditione rei perfectum non vi-
tiat nec infringit; tùm quia in pari causa turpitudinis melior
est conditio pollidentis *l. 3. de cond. ob turp. c. l. 2. C. eod.* Aut
res feudalis nondum est tradita, & tunc contractus feudalis
est ipso jure nullus, si sub tali turpi conditione est initus, im-
primis si conditio est suspensiva; si verò resolutive, tunc pa-
ctum appositum est quidem ipso jure nullum, contractus ve-
rò ipse non vitiatur.

(b) Quærunt hîc Feudistæ: quid juris, si huic vasallo 2.
qui per pactum se obligavit, vadere cum uxore Domini ad
Ecclesiam seu templum in diebus festivis, obvenerit aliqua
dignitas, propter quam non esset sibi honestum associare
dictam Dominam, an excusetur à servitio? Resp. cum
Mozzio de accid. feud. n. ult. & Gothofr. Anton. disp. feud. 4. thes. 7.
lit. f. quod à servitio non simpliciter excusetur, sed illud per-
substitutum minùs honorabilem præstare teneatur. 1. Quia

F 2 non

non potest sine Domini facto ex feudo non libero fieri feudum francum seu liberum. 2. arg. l. fin. §. 1. in verb. alios in suum locum surrogare &c. C. de prox. sacror. scrip. l. ad similitudinem 2. l. in verb. per substitutos periculo suarum facultatum curia muneribus satisfacere non vetentur C. de Episcop. & Cleric.

(c) Hæc verba secundum Gloss. ad h. text. quam sequitur Jacob. de Bellovisu, possunt habere duplicem sensum: Primus est, quod si Dominus non potest aliquo modo probare, ut, quia nullas habet probationes, & tunc defertur Sacramentum vasallo adversario suo. Secundus, quod Dominus allegans pactum insolitum nullo modo admittatur ad probationem, propterea, quia vasallus habebat pro se præsumtionem juris, & de jure, quàm *Ud* vocant violentam, contra quam non debet admitti probatio in contrarium. Sed prior intellectus contextui videtur esse convenientior, quod apertè patet ex eo, quod idem statuatur in verbis mox sequentibus in casu contrario, quando nimirum vasallus vellet pactum insolitum probare, & non potest, nam & tunc ad sacramentum Dominus admittitur.

(d) Videtur hæc defensio vasalli per jusjurandum non necessaria, quoniam regula juris sat trita est: Actore non probante Reus simpliciter absolvendus. Verum, ut supra quoque ostensum, hæc regula procedit saltem de Jure Civili, non feudali, quo reo. etiam actore nihil probante, à Judice, si aliquid sit quod illum moveat, jusjurandum deferri potest. Aliàs ex hisce verbis colligi potest, semper præsumendum feudum secundum propriam naturam & regulas communes feudorum, nisi specialiter probetur ejus alteratio, & ubicunque vertitur dubietas in concessione feudi, interpretationem faciendam esse secundum simplicem feudi naturam, nisi contrarium probetur.

(e) Putarem hîc superabundare voculam (per.) Cæterum inferunt ac præsupponunt hæc verba alium à priorè diversum casum, ubi scilicet vasallus est actor, & allegat, pactum insolitum investituræ fuisse appositum; Quod pactum hîc vocatur speciale, ac idem est, quod irregulare, juxta verba statim sequentia.

(f) Natura

(f) Natura enim feudi propriè sic dicti est, quod in eo tantum masculi succedant: contra hanc feudi naturam appositum esse pactum dicit vasallus, ut & foemina succedere debeant.

(g) Quoniam ergo hæc insoliti pacti appositio facti est, & vasallus se in eo fundat, ideo non saltem illud probare potest, juxta *b. text.* sed etiam debet. Probatio autem pacti appositi eodem modo fieri debet, quo ipsa investitura solet probari, videlicet per duos ad minimum testes, pares curiæ si haberi possunt, aliàs admittendi extranei, vel per breve testatum. Et hoc svadent verba textus: *sicut investituram.*

(b) Id est si plenè non probaverit, vel probationem intra præstitutum tempus non absolverit.

(i) Propter identitatem rationis; quæ enim ratio svadet, ut vasallus Domino non probante pactum allegatum, ad juramentum sit admittendus, eadem etiam hic svadet, ut Dominus vasallo non probante pactum admittatur; in tantum ut secundum *Gl. Alvarott. hic. n. 5.* nec semiplena probatio, à vasallo facta, sit attendenda.

PER QUOS FIAT INVESTITURA, ET
PER QUOS RECIPIATUR.

TIT. III.

CONTINUATIO.

Postquam in præcedenti titulo ostensum, quid sit investitura, & quomodo fiat, ad continuationem hujus materiæ in hoc præsentis titulo merito ostenditur, quænam Personæ illam facere, & quæ illam recipere possint. Et sic titulus noster vi hujus Rubricæ seipsum dividit in duas partes.

TEXTUS.

Investitura autem, aut fit de veteri beneficio, (a) aut de novo. (b) Quæ de veteri fit, F 3 etiam

etiam à minore potest fieri. (c) sive autem
à minore, sive à majore fiat, non de omni
possessione vasalli, sed de justa causa tan-
tùm facta intelligitur, (d) nisi aliud no-
minatim dicatur. (e) Noviverò investitu-
ra feudi non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui
legitimè suorum bonorum administratio-
nem habet: (f) Qui enim qualibet ratione
aliquid de suis rebus impeditur alienare,
is nec per feudum poterit investituram fa-
cere, (g)

ELABORATIO.

(a) Distinguit hîc Obertus de Orto, quoad personas
investituram facientes, inter investituram veteris feudi, quæ
& Renovatio dicitur; ac propriè investitura non est, quoni-
am in ea nulla transfertur possessio, quod aliàs facit investi-
tura propriè sic dicta, juxta *tit. preced.* sed est saltem confir-
matio antiquæ possessionis; & feudi novi, quæ propriè investi-
tura dicitur. Quid autem sit Renovatio, supra in explicatio-
ne *tit. 22. elab. 1.* ostensum est. Hîc verò quæri potest: An
Principes Imperii priusquam regalis investituræ renovatio-
nem à Cæsare impetrarint, in Imperii conventibus ad sessio-
nem & votum admittendi sint, statim ac possessionem succes-
sionis sibi delatæ apprehenderint? Affirmativam tuebimur
sententiam, moti sequentibus rationibus. 1. propter *tit. 7.*
Aur. Bulla Carol. IV. ubi ipsa lex, sine facto hominis, quale est in
investitura, vocem ad Electorum heredes devolvit, & quidem
non primùm post investituram Cæsaream, sed post Electoris
mortem.

mortem. 2. Connexorum idem est iudicium *arg. l. 43. ff. d. reliq. & sumt. fun.* Ipsi autem principatus, quibus hoc jus suffragandi & alia regalia inhaerent, spectant ad heredes statim post apprehensam possessionem, etiam ante petitam investituram, *Schrad p. 10. sed. 3. n. 147.* E. etiam coherens. 3. Quia certissimum est, omnes fructus feudi ad vasallum ante petitam investituram intra annum spectare. Dare autem vocem in curia seu Parliamentis, & quod idem est in Comitibus Imp. est fructus feudi regalis, ut & canonicatus, & competit ei, qui est in sola possessione. secundum *CC. inc. literis. ff. d. ressit. spol.* Ergo & hac datio vocis in Parliamentis vel Comitibus Imp. intra annum spectabit ad vasallum. 4. propter *c. 20. Aur. Bulla Carol. IV.* ubi dicitur, eum, qui est in possessione Principatus, debere quoque ad jus, vocem & potestatem eligendi absque contradictione admitti. Hoc autem ob identitatem rationis etiam ad minores Principatus referri potest, juxta *l. 12. 13. ff. d. LL. l. 7. §. 2. ff. d. iurid. 5.* Accedit observantia; non tantum enim extra Imperium Baro possessionem feudi habens etiam ante investituram regiam in Parlamento intervenire & vocem dare potest, teste *Garz. Mesril. decis. 18. n. 13.* ubi ita Anno 1604. iudicatum fuisse testatur; sed etiam in ipso Imperio. Nam Anno 1586. Christian I Elect. Sax. Anno 94 Frid. Dux Wurtemb. Anno 98. Joach. Frid Marchio Brand. & Frid. IV. Elect. Pal. ratione Simmeren Anno 603. Carol. Dux Megapol. etiam si nondum investiti, vel ipsimet, vel per suos legatos comitiis interfuerunt, tamque sedendi, quam suffragandi jus exercuerunt. *vid. Buxtorff. ad Aur. Bull. Carol. IV. Concl. 85.* ubi etiam allegat. *Fruckm. conf 24. lib. 1. II. 112. Diff. Christoph. Wintz. de collect. obs. 2. n. 7* Et hoc etiam procedit quoad Principes Ecclesiasticos. Episcopi enim ratione eorum regalium & iurium, quae ab Imperio recognoscunt, non ut Ecclesiasti, sed ut Laici Principesque ac Status Imperii considerantur. *Heig. lib. 1. q. 4. num. 3. Aur. Bull. Carol. IV. c. 1.* Exempla recenset *Buxtorff. ad Aur. Bull. Carol. IV. concl. 28. lit. b.*
(b) Novum feudum quid sit, supra ad inscriptionem *lib. 1. feud. traditum*, nimirum est tale feudum, cujus causam
acqui-

acquirens non habet ab alio, nisi à seipso & Domino concedente. Medium autem acquisitionis est ipsa investitura.

(c) Ratio est, quia Minor nihil facit seu alienat de novo, sed sequitur illud, quod fecit suus antecessor, prout in simili minor non restituitur in contractu celebrato per majorem, cui successit *l. 1. § 2. C. si ad v. vendit, pign.* Exinde fluit decisio illius quæstionis: An minor curatorem habens **Q** etiam sine ejus consensu & autoritate veteris feudi investituram seu renovationem facere possit? Quod affirmandum.

1. Quia in *b. n.* textu nulla additur distinctio, an Minor curatorem habeat, vel non. Cum igitur textus non distinguat, nec nos distingvere debemus. *per l. precio 8. ff. d. publ. in r. m. act.*
2. Quia puberes sine Curatoribus suis obligari possunt *l. 101. ff. d. V. O.* Imò.
3. Minor per hanc renovationem conditionem suam non facit deteriorem, sed potius meliorem; liberat enim sese ab obligatione illa, quâ ad investiendum successores defuncti vasallo tenentur, &, ut supra quoque dictum, minor hoc pacto nihil alienat, sed, quod à Majoribus alienatum, solùm confirmat. Meliorem autem suam conditionem facere potest minor, etiam sine curatoris consensu *pr. 7. d. aut. tut.*
4. pro hac sententia urget *Rüding. contr. jur. feud. lib. 2. c. 21.* Quod minor in ultima voluntate de bonis suis disponere potest, etiam sine curatoris sui autoritate. Verùm ab ultimis voluntatibus ad contractus ductum argumentum quoad minores non procedit; aliàs per contractum minores res suas in alium transferre, uti hoc fit per ultimam dispositionem, possent, id quod est contra expressam *juratit. d. prad. min. sin. decret. non alien vid. Borcb. d. feud. cap. 5. n. 43. Schenck Baro à Tautenb. ad h. text. Vult. lib. 1. feud. cap. 3. vers. adeò autem. § Rosenb. d. feud. c. 3. concl. 8. Diss. Duar. d. feud. c. 6. § Sonsb. p. 6. n. 19.* ad quorum fundamenta resp. *Rüding. d. loc. II.* Et hujus quæstionis: An & pupillus possit feudi veteris investituram facere sine tutoris autoritate? Quod non sine ratione negant *Hotom. ad h. text. § in disp. feud. c. 13. Duar. d. c. 6. d. feud. Petr. d. Ravenn. ad h. text. § Sonsb. d. p. 6. n. 19. 1.* moventur, quod pupillus sine autoritate tutoris
jusju

iusjurandum deferre nequeat *l. iusjurandum 17. §. 1. ff. d. iurej.*
Investitura autem etiam veteris feudi seu renovatio non po-
test fieri sine iuramento. 2. Quod pupillus non possit sese
obligare, etiam si suam conditionem faciat meliorem. Quem-
admodum 3. pupillus hereditatem licet lucrosam sine auto-
ritate tutoris adire non potest §. 1. *f. d. aut. tut.* Verum si pu-
pillus est pubertati proximus, omnino putamus eum renova-
re investituram feudi antiqui posse 1. Quia alias certum est,
pupillum sine tutore conditionem suam meliorem facere
posse *d. pr. f. d. aut. tut.* imprimis quando certum est, ut in no-
stro casu; pupillum suam conditionem facere meliorem 2.
Quia licet pupillus nolit renovare investituram, tamen tene-
tur ex obligatione suorum majorum & dispositione juris feu-
dalis ad renovationem faciendam, adeo, ut si eam facere
detrectet, eo nomine cogi possit, quia noster textus inter mi-
nores & pupillum non distinguit. 4. Quia, prout supra scri-
ptum, qui confirmat saltim, nihil novi dat unde etiam confir-
matio debet fieri in forma priori nihil addendo, nihilque
detrahendo *c. 1. X. d. confirm. util. vetinuti. c. quia diversitate
X. d. concess. prebend.* Nec obstant rationes supra à D. B. allatae.
Ad primam siquidem resp. quod illa procedat, quoad ius-
jurandum deferendum in iudicio, in quo certum est, pupil-
lum sine tutore non habere legitimam standi in iudicio per-
sonam. Nos autem loquimur de casu iurisjurandi extra ius
sive iudicium necessario praestandi, inter quae duo iuramenta
etiam quoad conditionem pupilli magna est differentia, ut
ostendit *Vult. lib. 1. feud. c. 3.* Ad secundam resp. eam cate-
nus procedere, quatenus obligatio illa est ejusmodi, ut, licet
pupillus conditionem suam per illam obligationem melio-
rem faciat, fieri tamen aliquo casu nihilominus possit, ut ex ea
reddatur deterior; sic se res habet cum hereditatis aditione,
est enim illa negotium per se & sua natura periculosum, ita,
ut, quamvis ab initio in speciem videatur esse lucrosa heredi-
tas, latere tamen aliquid possit, quod, si postea in medium
proferatur, eam faciat damnosam. At in renovatione inve-
stiturae veteris ne fingi quidem potest ullus casus, quo ea

G

renovatio

renovatio pupillo sit aut esse possit damnosa, imò nisi fiat, omissa illa pupillo damnosa esse possit. Et hanc sententiam etiam fovent *Zaf. in epit. feud. p. 1. Dr. Carp. 2. disp. feud. 3. tb. 22. Joh. Zabel. Exerc. feud. 3. tb. 3. tit. 6. Finckelb. disp. feud. 10.*

(d) Id est, Investitura veteris feudi non tribuit vasallo jus in re, si non habet; quoniam subintelligitur fieri, si quod jus habet in eo, quod habet. Si ergò vasallus habeat jus in re, proficit investitura, aliàs non. Nam non tribuit jus in feudo veteri investitura, sed conservat acquisitum, *Andr. d. Ifern. hic. num. 1.* Et hoc convenit etiam cum jure civili communi, uti patet ex *l. tres fratres ff. d. pati. l. non solum §. si heres. ff. d. lib. leg. §. l. qui concubinam 29. §. si heres. ff. d. leg. 3.*

(e) Hoc est expressa re, in qua non poterit fieri justè investitura.

(f) Feudi itaque concessio ut subsistat, requirit saltem secundum intentionem contrahentium rem propriam. Vel licet in se res aliena sit, tamen præstanda est ut perinde eam habere liceat, ac si à vero Domino cujus fuisset propria, quis accepisset, & tunc obligatio ad evictionem supplet illum defectum. vid. *Rosenbal. d. feud. c. 4. concl. 11.* Per verba autem (bonorum suorum) removenur à jure infeudandi Tutores & Curatores. Hi enim, licet administrent res & bona pupillorum ac minorum, tamen non sunt eorum Domini. Nec obstat *l. tutor. 27. ff. d. adm. tut. l. 56. §. 4. ff. d. furi.* ubi dicitur, quod tutor sit loco Domini. Explicari enim illud axioma potest ex *l. qui feudum: 7. §. si tutor. 3. ff. pro emptore*, ita, ut nempe tutor in re pupilli tunc Domini loco habeatur, cum tutelam administrat, non ubi pupillum spoliat, aut ejus res alii donat *l. 16. C. d. adm. §. per. tut.* unde nec ususfructum rei pupillaris alienare potest *l. sed si 3. §. usufr. 5. ff. d. reb. eorum.* Disceptatur insuper hîc: An valeat Tutoris vel Curatoris infeudatio seu investitura nova facta præcedente judicis decreto? *Schradder, Zasius & multi alii* hoc affirmant. propter *l. sancimus. 25. C. d. admin. tut.* ubi autoritas decreti dicitur firmam gignere securitatem. 2. per *l. sed si forte 6. ff. d. reb. eor. qui sub tut.* Alii distin-

distinguunt inter res infeudari solitas; & res, quæ nondum
fuere in feudum concessæ: In illis etiam sine decreto feudi
constitutionem esse validam; in his verò decretum esse neces-
sarium putantes. Verùm hæc distinctio non est admitten-
da: Quando enim feudum defuncto e. g. vasallo sine here-
de ad pupillum minoremve redit, plenum ejus rei dominium
habet, perinde ac alius rei, in qua ante feudum nunquam fu-
it constitutum & quando rursus ita res in feudum datur, no-
vum feudum constituitur, quod sine decreto fieri nequit. *Si-
monell. in tr. d. decret. in contr. min. lib. 1. tit. 2. inspect. 4. num. 55.*
Nos negativam arripimus sententiam 1. Quia vix est, ut magi-
stratus sit arbitraturus rem pupilli & minoris in feudum dari
debere, præsertim quia alienatio, quæ fit per infeudationem,
similis donationi est, quæ nec ex decreto valet Magistratus *l.
fin. C. si maj. fact. alien. 2.* Quia pupillorum & minorum bona
cum causæ cognitione & decreto judicis in casu tantum ne-
cessitatis alienari possunt, puta ob urgens æs alienum. *l. 12. C.
d. præd. min.* Limitamus tamen nostram sententiam 1. si in-
feudatio fieret ob bonæ meritorum remunerationem, propter
quam aliàs actio instituitur. 2. si dignitas pupilli aut minoris
omnino exigat, ut habeat vasallos, aut si pupillo opus sit ad-
jutore potente contra eum, à quo vim sustinet nec aliter se &
res suas ab eo tueri potest, quàm auxilio vasalli *Sonsb. de feud.
p. 6. n. 4. & Valt. lib. 1. d. feud. c. 3. n. 6.* Ad rationes verò pro
affirmativa sententia suprâ allatas respondet *Finckelth. disp.
feud. 5. thes. 9. lit. a.* quem vide. Notanter autem textus
dicit, (administrationem habet.) Nam licet aliquis sit Do-
minus rerum suarum, & tamen non habet earum rerum libe-
ram administrationem, à qua pendet jus alienandi, feudum
alicui constituere nequit.

(g) Sic minor, furiosus impubes, mente captus, ne-
quidem tutoris vel curatoris autoritate & consensu inter-
veniente feuda constituere possunt, id quod apud FF. si-
ne controversia est. Illud autem controversatur; An
minor 25. annis curatorem non habens possit sine decreto
feudum alteri concedere? Quod intrepidè negamus, moti 1.



tali argumento ex textu nostro desumpto: Quicumque non habet rerum suarum legitimam & liberam administrationem, ille infeudare aliquem non potest. Atqui minor 25. annis est talis. Ergo. Major est in textu nostro. Minor potest probari per *l. 4. 6. l. 11. 15. C. d. prad. min 2.* Minor 25. annis res immobiles sine decreto magistratus alienare nequit. *l. 1. C. d. prad. min.* Atqui feudum consistit in rebus immobilibus *l. 1. § sciendum. de feud. cogn. 2 feud. 2. E. 3.* Fendi constitutio plerumque est donatio quædam seu beneficium. *c. 1. d. feud. dat. in vic. leg. Com. 1. feud: 27. c. 1. §. in primis. in quibus caus. feud. amit. 2. feud. 23.* Minori verò donare concessum non est, cum donare quodammodo sit perdere *l. filiusfar. 7 ff. d. don. 4.* Si nec minor, qui veniam ætatis, impetravit alienare res suas potest sine decreto magistratus, multò minus is poterit qui ejusmodi veniam non impetravit, licet curatorem non habeat constitutum. Atqui verum prius per *l. 2. § 1. l. 3. C. d. his qui veniam ætat. impetr. E. & posterius.* Ratio verò consequentiæ est per se manifesta. *Dis. Finckelb. disp. 5. th. 7 lit. c per l. 1. C. de fidej. min. l. 1. C. quando decret. opus non est.* Pro quo etiam facere potest *l. 3. C. d. restit. in integr.* Verùm ad hosce textus respondet *Dn. Struve in Synt. feud. disp. 5. th. 4* ad quem brevitas studio lectorem remittimus.

TEXTUS.

SED etiam res, cujus alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur; (a) nisi in casibus: (b) ut ecce, si quis ex agnatis tuis rē, quæ à communi parente per successionem ad eum pervenerit, (c) alienare voluerit, non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem (d) alii eam vendere

dere, nisi tibi, vel alii proximiori (e) pro æ-
quali pretio accipere volenti. (f) Per feudum
tamen cuilibet dari potest: (g) nisi fiat in
fraudem nostræ consuetudinis (h) vel legis
novæ bonæ memoriæ Lotharii vel Frideri-
ci Imperatoris. (i) Tunc enim rescissâ inve-
stiturâ reddito à te vel ab alio proximiori vi-
delicet secundum antiquam consuetudi-
nem pretio, si quod dederit, is qui investi-
ram accepit compellatur rem tibi restituere. (k)

ELABORATIO.

(a) Argumentum igitur ductum ab alienatione ad
infeudationem est validissimum & secundum verba nostri tex-
tus ita formari potest: Quæcunque res potest alienari, illa
etiam potest in feudum dari; Hæc vel illares potest alienari.
E. etiam in feudum dari. Vel: Cujuscunque rei prohibita est a-
lienatio, illius etiam prohibita est infeudatio. Atqui hujus
vel illius rei prohibita est sine consensu Domini alienatio. E.
etiam infeudatio. Ratio verò consequentiæ est, quia & per
infeudationem transfertur dominium, licet non directum,
tamen utile. Vocabulum autem alienationis sumitur latè &
strictè. Priori in significato comprehendit etiam oppigno-
rationem, in posteriori verò significatione ipsi opponi potest,
& hoc modo videtur sumendum esse in nostro textu.

(b) Duo hic subjiciuntur casus excepti à priori re-
gula, quæ talis fuit: Alienatio feudi est prohibita. Exceptus
casus primus est Nisi alienatio fiat in proximiorum agnatum.
Secundus casus exceptus est, quando vasallus vult feudum
suum transferre in alium, ex titulo feudi, etiam mediante

G 3

pretio



pretio dummodo non faciat illud in fraudem; si enim fraus fieret, posset revocari à possidente per proximiorum agnatum ipsius alienantis, restituto eodem pretio ipsi possidenti.

(c) Per communem parentem intelligendus hic est primus acquirens. Alias inferunt hæc verba feudum antiquum seu ex pacto & providentia, quod jure successionis primæ investituræ ad possessorem alienantem pervenit. Feudum vero non solum vel testamento vel actu inter vivos cum consensu Domini à vasallo alienari & oppignorari potest, ita ut à filiis vel agnatis, (si fortè hi ex pacto acquirentis jus succedendi habeant) non possit revocari. Nec obstat, quod filii & agnati habeant in hoc feudo jus quæsitum, quod ipsis auferri nequeat. Jus enim illud succedendi in feudo novo non propriè jus quæsitum dici potest, & tamdiu durat, quamdiu subsistit id, ex quo venit. Venit autem ex contractu illo feudali inter Dominum & primum acquirentem inito, à quo, si utriusque consensu recedatur, & feudum in alium transferatur, necesse est jus illud in potentiâ expiret. Post mortem verò patris vel vasalli acquirentis detertur feudum, adeoque tum demum consensus Domini interveniens non præjudicat filiis vel agnatis. *vid. Hartm. Pist. lib. 2. q. 4. num. 87.* Nisi tamen feudum unà cum patre ipsis quoque in specie filiis vel patri contemplatione filiorum fuit concessum, quia tunc non à patre in eos derivatur feudum, sed potius ipsi à Domino id consequuntur. *Idem Hartm. Pist. d. l. n. 88. & seqq. Carpz. p. 2. c. 48. def. 10.*

(d) Antiqua consuetudo, cujus hic fit mentio extat in c. 1. qualiter olim poterat feudum alienari: 2. feud. 9. & erat talis: Necessitate suadente poterit olim vasallus Dominò inscio vel invito feudi partem vendere, retentâ videlicet aliâ parte. Verùm hac consuetudine non attentâ, dicitur hic vasallum feudum alii non posse vendere; cujus dicti ratio est, quod vasallus plenum rei dominium non habeat, & vergat alienatio in præjudicium Domini & agnatorum.

(e) Tibi scilicet agnato, habendus enim est respectus ad verba præcedentia (si quis ex agnatis tuis) ut rectè monet

Gorb.

Goth. in not. ad h. text. lit. p. Proximior autem agnatus hinc merito præfertur, dum æquale pretium offert; uti siquidem aliàs in successione ab intestato allodiali, ut ita loquamur, semper præfertur, ita etiam quoad jus revocandi feudum proximior est præferendus juxta *S. Titius. in verb. Sempronius proximior agnatus &c. 2. feud. 26.* Quæritur autem hinc: Si proximior non revocet feudum, an devolvatur jus revocandi ad sequentem gradum, veluti ex edicto successorio? Putamus cum *Rosenthal. l. d. feud. c. 9. concl. 62* quem sequitur *Dn. Struve disp. feud. 12. 16 17.* distingvendum esse hoc modo: Aut is, qui est proximus in feudo successor, non potest, aut non vult revocare. Priori casu, ut si proximus consenserit vel heres sit alienatoris, non statim admittitur proximior, cum huic non nisi post mortem ejus ac filiorum illius deferatur successio. Posteriori verò casu subdistingvendum: Aut propterea non vult revocare gradu anterior, quod velit rem possessori relictam, & tunc non antè admittendus est remotior, quàm successio ad eum devoluta: Aut propterea, quod feudum repudiet, & tunc remotiori defertur successio, adeoque admittitur.

(f) Et hoc pretium offerre cogitur proximior agnatus, licet emtor præter vel ultra justum & æquivalens pretium numeraverit. Justum enim pretium est, quod inveniri potest, uti cum *Dd. ad l. 2. C. d. rescind. vend.* loquitur *Goth. in not. ad h. text. lit. m.* Et sic æqualitas hinc non habet respectum ad valorem rei venditæ, sed ad quantitatem, quam emtor numeravit.

(g) Hæc verba iterum occasionem quærendi præbent: Num jus *επορμήσεως* in subfeudo subinfeudantis agnatis competat? Quod affirmat quidem *Somb. d. feud. p. 13. n. 172. v.* postrema conclusio est & seqq. qui urget nostrum textum. Verum rectius hoc negant alii, ut *Vult. lib. 1. cap. 11. n. 106.* *Sebrad. d. feud. p. 8. c. 7. n. 4.* *Hartm. Pistor lib. 2. q. 12. n. 15. & 16 & Rosenthal. c. 9. concl. 90. n. 5* Licet enim subinfeudatio sit species alienationis non tamen cuivis alienationi jus retrahendi accommodatum reperitur jure feudorū, certè subinfeudationi

tionem nunquam attribuitur. Nec potest hoc 2. fieri, quia subinfeudans retinet utile dominiū, vasallusq; respectu feudi in subfeudum concessi etiamnum remanet; 3. Si retractui locus esset vel subfeudo planè carendum subfeudanti foret, si agnatus retrahens non ab ipso, sed ipse domino subfeudum retractum recognosceret: vel si à subfeudante recognoscere paratus esset, hic invitus alium, quàm quem voluerit, vasallum habere cogeretur contra *c. 1. vers. ne forte. d. f. atx. de nov. benef. invest.* & quidem priore, quem elegerat, potentior, à quo servitia sibi debita difficilius consequi posset. Nec patrocinator quicquam *Sonsb.* hinc noster *tx.* imò potius confirmat hanc nostram sententiam; Cùm enim hinc clarè disponatur vasallo, ne quidem secundum antiquam consuetudinem permitti vendere feudum alii, quàm proximiori pro æquali pretio accipere volenti, statim subjungitur, (per feudum tamen cui libet dari potest) quæ verba sanè satis clarè ostendunt, secus esse in subinfeudatione, & sic retractus quoad subinfeudationem non habere locum. Colligi hoc insuper etiam potest ex verbis per modum exceptionis subjectis: (Nisi fiat in fraudem consuetudinis vel constitutionis Imperialis de feudo non alienando.) Exceptio autem præsupponit regulam eamque firmat per vulgata II. Quæritur hinc: An huiusmodi subinfeudatio duret adhuc post mortem subinfeudantis, an verò tunc proximior agnatus jure retractus uti possit? Quod affirmandum I. Quia resolutio jure datoris resolvitur jus acceptoris *arg. c. 1. § rursus. quibus mod. feud. amitt.* 2. Quia sicut non potest vasallus per testamentum disponere de feudo suo, ut supra traditum, ita multò minus per investituram inter vivos, ut trahat vires suas post mortem ejus ad tollendum jura agnatorum, *arg. l. si aliquis. & l. senatus § si quis ff. de don. mort. causa.* 3. Quia feudum isti agnato debetur ex pacto & providentia, non verò potest vasallus aliquo modo ei præjudicare per huiusmodi infeudationem, *vid. Hartm. Pift. l. 2. q. 44. n. 6.* ubi etiam notabilem huius decisionis limitationem habet. *Andr. d. Ifern. ad h. tex. Jul. Clar. in § feudum q. 32. n. 5. & Alvaros. ad h. text. n. 8.*

(b) Hujus

11310 (b) Hujus fraudulentæ subinfeudationis tria adferunt exempla à FF. 1. est: Si iste Vasallus erat castè natus, id est, frigidus, ut generare non possit, ex quo clarum, quod feudum erat perventurum ad proximiorum agnatum, & sic alteri infeudando videbatur ipsum fraudare. 2. est, si vasallus erat tam senex, ut non posset generare. 3. exemplum est, si ob hoc investierit alium, ut fraudaret agnatos, & feudo eos privaret, sicut dicimus in debitore, qui alienat bona sua, ut fraudet creditores. Hisce tribus exemplis quartum addit Alvarottus ad *n. text. n. 7.* ut quia accepit pretium in fraudem sub colore investituræ §. *calidis. infr. d. prob. feud. alien. per Frid. 2. feud. 55.*

(i) Quæ extant in *lib. 2. tit. 52. & 55.*

(k) Hisce verbis obflare videtur. Quod iniquum sit, fraudulento emptori pretium restitui. Verùm sciendum est, textum hunc loqui de eo, qui sine mala fide feudum accepit. *Gothof. in not. ad n. text. 2. obst. c. Imperialis. 1. ibi: pretio ac beneficio se cariturum agnoscat. d. prob. feud. alien. per Lotb. 2. feud. 52. c. Imperialem §. callidis, ibi: feudum amittant, & ad dominum liberè revertatur. d. prob. feud. alien. per Frid. 2. feud. 55. & c. 1. §. ult: quæ fuit prim. causa benef. amitt. 2. feud. 24.* Rectè autem respondet ad hosce textus *Andr. Köhl. in tr. de subfeudis. cap. ult. num. 47.* distinguendo; Aut vasallus non in fraudem constitutionis Imperialis, sed solummodò consuetudinis proximiori redemptionem sive retractum permittentis subfeudum extraneo concessit, & tunc per se quidem valet subinfeudatio, quippe Imperiali constitutioni minimè contraria: quia tamen facta deprehenditur in fraudem consuetudinis, meritò rescinditur, & subvasallus recepto pretiosi, quod dedit, agnato proximiori subfeudum restituere compellitur. Aut in fraudem constitutionis Imperialis subinfeudavit, & tunc refert, an Dominus uti jure suo velit, adeoque sese declaret, quod pœnæ locum esse, ac fraudulenter infeudatum committi sive amitti velit; tunc enim agnatus proximior, licet alias in jure protimiseos sit Domino potior c. 1. §. præscrip. tione. qual. olim. poter. feud. al. 2. feud. 9 retracta-

H

rene-



re nequit, sed subinfeudatio est invalida siue nullam in fauorem Domini, & illicitè subinfeudatum revertitur ad Dominum subfeudantis, qui tam diu retinebit illud, donec eo illicitè subinfeudante ipsiusque liberis masculis non amplius extantibus id vigore primæ investituræ ad agnatos quoad utile dominium pertinere incipiat. *c. Titius filios, si de feud. defunct. cont. 2. feud. 26. c. 1. §. ult. d. capit. Corradi. 2. feud. 40.* An verò non utatur; & tunc illicitè infeudatum non perditur ipso iure, cum feudum non amittatur, antequàm Dominus sese declaret, ac proinde subinfeudatio tenebit quidem siue subsistet quoad præjudicium illorum, qui contraxerunt in fraudem constitutionis. Proximior tamen agnatus ob fraudis interventum admittendus est ad retrahendum, pretio, si quod pro subfeudo datum fuit, reddito, *b. n. text.* cum alioqui Dominus, si ob fraudem constitutioni factam auferat subfeudum, minimè teneatur subvasallo pretium, quod pro eo exposuit, refundere.

TEXTUS

Personam verò investituram accipientis non distingvimus. (a) Nam & servus investiri poterit; nisi ignorantia prætendatur. (b) Sed utrum ipse vel alius pro te investituram faciat, vel suscipiat, nihil inter esse putamus: (c) Potest enim hoc negotium & per procuratorem ab utraq; parte expediri. (d) Fœminam quoque etiam novi feudi investituram facere posse plerique consentiunt. (e) Nulla autem investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat: (f) Cum

à fi-



à fidelitate feudum dicatur, vel à fide: (g) nisi eo pacto acquisitum sit ei feudum, ut sine juramento fidelitatis habeatur. (h)

ELABORATIO.

(a) Hæc conclusio in tantum procedit, ut non attendatur vel sexus, vel ætatis, vel status, vel conditionis seu ordinis, vel ullius qualitatis ratio. Prius (nimirum sexum) quod attinet, sciendum est, licet primævus mos fuerit, ut solis magistratui gerendo militiæque idoneis feuda assignarentur, de sætutine tamen tam quoad fœminas, quàm alias personas minus aptas exolevit, teste *Vult. lib. 1. cap. 4. d. feud. n. 1. & 4. Zasius p. 5. n. 65. add. ea quæ supra ad tit. 1. lib. 1. feud. elab. 1. tradidimus.* Alterum (videl. ætatem) cum distinctione est intelligendum: Aut enim infans est investiendus, & neque per se, neque Autore tutore; sed vel tutor, vel si in patria est constitutus potestate, pater ipsius nomine acquirit, *Schrad. p. 4. c. 3. n. 4.* Aut infantia limites egressus est, & vel solus sine moderatore rem suam meliorem reddendo, feudum accipere potest. *Rosenb. c. 3. concl. 8. n. 4.* jurejurando interim in maturam ætatem dilato. *Motzz. d. bis qui feud. dare poss. n. 37.* De Tertio in sequentibus sumus acturi. Quartum verò quod concernit, in tantum quoad acquisitionem feudi negligitur conditionis diversitas, ut non intersit parem acquirentem esse, an inferiorem, vel etiam concedente superiorem, cum & Imp ac Papa vel alii superiorem non recognoscentes, ab inferioribus feuda accipiant, quod exemplis demonstrat *Vult. c. 4. d. feud. n. 9. & 20.* & tunc fidelitatem jurant per substitutum servitiaque feudalia præstant. *Rittersb. d. feud. c. 6. q. 7. n. ult.* De Clericis saltim dubium est; An & illi possint feudum accipere durante illorum statu clericali? Videtur quidem dicendum, quod non. 1. Quia propter clericatum, quis perdit feudum, cujus antea fuerat capax *cap. 1. d. feud.*



*fem. 2. feud. 30. c. 1. §. qui clericus. si de feudo def. cont. sit int. Dom. & agn. vasall. 2. feud. 26. 2. Quod nemo militans Deo secularibus sese implicare debet negotiis. c. un. clericatu feud. amitt. 2. feud. 109. 3. Quia clericus jurisdictioni Laicorum se subicere non debet c. si diligenti d. for. comp. Et hanc opinionem tuetur Zasius p. 5. num. 71. Curt. jun. d. feud. p. 3. n. 16. Rain. conf. 42 lib. 1. Verior tamen est opinio affirmativa 1. propter h. n. textum, qui nullam simpliciter admittere vult distinctionem. 2. per c. 1. §. fin. d. capit. Corrad. 2. F. 40. 3. Quia Dominus feudum concedendo clerico censetur servitiis vasalliticis renunciasse, vel tacite vult, ut servitia talia clericus applicet feudo, quæ personæ ipsius sunt convenientia; Vel ad minimum gratiam intelligitur facere clerico, ut serviat per substitutum. arg. 2. feud. 26. §. si quis decesserit. 4. Huc facit c. transmissa. 6. x. d. for. comp. Atque hanc nostram sententiam fovet etiam Hannet. d. feud. cap. 5. Jul. Clar. §. feudum q. 78. num. 4. Schneid. d. feud. p. 3. n. 105. Borch. d. feud. c. 5. n. 49. Nec obstant supra adductæ rationes. Nam ad 1. respondetur, aliam esse rationem concessi feudi, aliam concedendi. Si cui feudum concessum sit, isque postea clericus factus, merito hoc amittitur, quia servitia amplius præstare nequit, & Dominus eum aliquando clericum fore scire non potuit: Si verò novum feudum Domino sciente datum fuerit clerico, datio omninò tenet. Et sic etiam responderi potest ad secundam rationem. Tertiã quod attinet, respondemus, excipi à regula ista causas feudales, in quibus Clerici pro Laicis habentur, & coram Laicis rectè conveniri possunt. d. cap. ex transmissa 6. x. de foro comp. Hun. d. feud. c. 8. Finckelth. d. feud. disp. 5. ib. 15. Quintò diximus, nec ullius qualitatæ rationem esse habendam. Unde fluit, omnes etiam furiosos, prodigos, mutos, surdos, cæcos, sive naturâ tales sint, sive ex accidenti ita facti, ad feudum admittendos esse, ita tamen, ut furiosi & prodigi per curatorem, reliqui etiam per se feudum accipiant. Nam quamvis hæ personæ omnes ad pleraque servitia ineptæ videantur, ideoque in feudis regulariter non succedant, tamen si Dominus sciens talibus feudum concesserit, cum
ip[s]is*

ipsis dispensasse & per substitutum serviendi potestatem tribuisse censendus est. Nec movet, quod pleræque ex his personis juramentum fidelitatis præstare nequeant. Nam & hoc per alium fieri, & Dominus etiam juramenti præstationem planè remittere potest *h. n. tit. in fin.* Prohibentur tamen feuda accipere Hæretici, apostata, excommunicati, deportati, banniti, usuarii manifesti, damnati de crimine aliquo publico, & denique infames; de quibus nonnulli adhuc dubitant, ut *Schrad. d. feud. part. 4. c. 3. n. 7.* *Henr à Rosenhal. d. feud. cap. 3. concl. 9.* & *Nellius disp. feud. 2. th. 6.* moti seqq rationibus 1. Quia textus noster est generalis, nec distingui vult inter personas novam investituram accipientes; *Leges* autem non distingvente, nec nostrum est distingvere, per *vulgata. 2.* Quod etiam servus novam accipere possit investituram. *h. n. text.* Si servus, multò magis infamis. Cum servus non sit civis Romanus, uti infamis. 3. Quia quilibet est rerum suarum liber moderator & arbiter. *l. in re mandata. 21. C. mand.* Verùm hisce rationibus non obstantibus intrepidè adhuc statuimus, infamem non posse accipere feudum. 1. Quoniam Domino feudi turpe est & inhonestum cum infamibus versari *arg. l. si qua illustris 5. C. ad Sc. cum Orfic.* 2. Quia juris autoritate personis honestis associari debent personæ honestæ *arg. l. 44. & l. senatoris. 47 ff. d. rit. nupt.* 3. Quia in feudorum controversiis plerumque testes producuntur convasalli. *tit. 4. §. 1. tit. 10. §. item & seq. lib. 1. feud.* Infamis autem testimonium dicere nequit. *Nov. 90. cap. 1. l. 3. in pr. d. testib.* Imò 4. omnis vasallus Domino suo à consiliis esse tenetur *tit. 6. vers. restat. lib. 2. feud.* At nemo infamis consiliarius esse potest. *l. 2. ff. d. offic. ass. ff.* Nec alicujus ponderis sunt Dissidentium rationes. Ad 1. enim resp. in toto jure generi per speciem derogari *l. in toto. 8. ff. d. R. 7.* sic etiam generalis hujus tit. de personis definitio restringitur specialiter in personis infamibus. Ad 2. resp. quod feudi concessione servo factâ, ipse servus liber efficiatur & feudum acceptum ipse, ut liber homo possideat; Infamis autem per concessionem feudi non fit bonæ famæ; in potestate



quippe non est hominis vel Domini infamiam tollere, sed Legis. Ad 3. resp. illam ideò nihil stringere, quia licet quis possit pro suo arbitrio rem propriam concedere; sua tamen hac voluntate, ut feudum revera sit, efficere nequit, cum jus commune sive publicum (quod est in feudis, ut ea infamibus personis non concedantur) privatorum conventionem mutari non possit *l. jus publicum. 38. ff. d. pact. l. 27 ff. d. R. J. vid. Bocer. d. investit. c. 3. n. 142. & seqq.* De spuriiis autem quaestio esse posset, an & illi feudum possint accipere? Quod videtur affirmandum, quoniam neque infamia facti neque juris laborant, utpote qui nihil deliquere, aut turpe aliquid fecere, cum non sit culpa ejus, qui gignitur, sed ejus, qui generat *arg. can. 5. dist. 56.* sed quia spurii ob illegitimos natales maculâ laborant, quæ dicitur in *l. 27. C. d. inoffic. test.* notæ levis maculâ; Feuda autem honestæ saltem personæ, & vasalli integræ existimationis habere debent, ut innuitur in *text. 2. feud. 27.* sequitur omninò quod spurii feuda accipere nequeant. In primis, quoniam accidit nonnunquam, ut vasallus unâ cum aliis convasallis judicis partes obtinere necesse habeat, absurdum autem esse, eum, qui maculâ aliquâ laborat, & non integræ est existimationis, judicem esse posse, vid. *l. 12. §. 2. de judic. Finckelth. disp. feud. 5. sb. 23. Diss. Zabel. Exerc. feud. 3. thes. 8. lit. a.* qui tamen concedit, quod spurii infamia facti laboret.

(b) Quoad servum distingvere vult textus noster: Aut ignoranter ipsi feudum conceditur; aut scienter. Si ignoranter, nullius momenti datio est, si scienter proprio servo datum fuit, tenet illa datio, & servus simul libertatem tacitè accepisse videtur, *arg. §. sedes servus. 1. §. q. test. tut. dar. poss.* Si verò alieno, aut Domini contemplatione datum est, & ipsi Domino feudum hoc acquiritur, cum servi Dominis suis ex qualibet causa etiam ignorantibus acquirant. *6. item vobis. 3. §. per quas person. cuiq. acq.* aut ipsius servi contemplatione & concessio etiam subsistit, servusque hac ratione libertatem tacitè accepisse videtur, si modo Dominus ejus id sciverit, & servum suum investiri fuerit passus; Nam si ignoraverit, non valet infeudatio, neque quoad ipsum servum propter

l. 32. ff.

l. 32. ff. d. R. 7. neque etiam quoad Dominum, quia concedens noluit, ut servi Dominus feudum hoc haberet. *Andr. d. Ifern. bic & Jacob. d. Bellovisu. Dn. Arum. p. m. disp. feud. 2. lb. 37.* Occasione insuper horum verborum quæri potest. An & Monachus feudum acquirere possit? Et quoniam textus noster concedit, ut & servo feudum detur, sequitur quod & Monacho feudum dari queat; Argumentum siquidem à servo ad Monachum probabile est & frequens, teste *Everb. in top. loc. à serv. ad Monach.* quemadmodum enim servus domino suo; ita Monachus suo Monasterio feudum acquirit, & quidem si intuitu ipsius feudum datum fuerit, ad vitam tantum ejus; si verò respectu monasterii in perpetuū. *Clarus §. feudum. q. 78. n. 2. Intrig. o. feud. q. 54. n. 52 Rosenhal. d. feud. cap. 3. concl. 4.* ubi excipit Franciscanos & Cistercienses. Deinde textus noster in verbis præcedentibus generaliter loquitur, ergò generaliter est intelligendus. Lege enim non distinguente nec nostrum est distingvere, per vulgata. *Dis. Bocer. d. invest. feud. c. 3. n. 146. & Hottom. ad c. miles. 2. feud. 21.* existimantes in iis demum feudis assertionem nostram procedere, quorum ratione vel nulla omninò servitia sunt præstanda vel ejusmodi, quæ Monachorum ordini conveniunt. Verum cum Jus nostrum feudale nusquam distingvat ut patet ex iis, quæ dicta sunt, & in ejusmodi casibus per substitutum servire permittat, hæc distinctiones recipiendæ non videntur. Nec resistit, quod id, quod suo nomine quis facere prohibetur, nec per alium agere debeat *l. un. C. quib. ad cond. præc. fisc. acced. non licet.* Resp. enim hanc regulam procedere, si utrobique eadem sit ratio, non ubi diversa, ut in hoc casu nostro, vid. *Hunn. d. feud. cap. 8. p. 154.*

(c) Ratio est, quia quod quis per alium facit, ipsemet fecisse videtur; *arg. l. ita autem. §. §. quod si quis. 3. ff. d. administr. iur. l. in adib. §. §. quod filius. 2. ff. d. dem.* Nec interest, speciale ad hoc mandatum habeat vel non: Modò Dominus vel principalis investituram ratificet, *Gothofr. Anton. disp. feud. 4. lb. 4. lit. b.* Quæ omnia tamen sub hac distinctione sunt intelligenda; Distingvendum enim est inter feudum novum,
& an-

& antiquum. Ea, quæ diximus, procedunt quoad feudum antiquum, fallunt verò quoad feudum novum, ad hoc enim per investituram constituendum requiritur speciale mandatum: Infeudare siquidem de novo est donare; Procurator autem sine speciali mandato donare nequit *l. procurator. ff. d. procur. l. si filiusfam. in pr. ff. d. don. Schneid. d. feud. part. 2. n. 87. dis. Joh. Goed. disp. feud. 3. ch. 4.*

(d) Haud facilè tamen in feudis Imperialibus, quæ per vexillum dari, nobisque *Sahnenſchn* appellari solent, procurator admittitur. Expresse enim in *Aurea Bulla Caroli IV. tit. 5.* de his cautum reperitur, ut vel ab ipso Imperatore vel Rege Rom. conferantur. add. *Cujac. c. unic. d. feud. sin. culp. non amitt. circ. fin.* Insuperque notandum, quod, si justâ & gravi de causa Dominus tempore investituræ faciendæ oculis suis vasallum adspicere velit, vasallus per procuratorem investituram accipere nequeat, se ipsum coram Domino sistere debeat; Unde quoque fuit decisio illius quæstionis, An vasallus per procuratorem possit præstare juramentum fidelitatis? Quod affirmandum regulariter, modo procurator speciale ad hoc habeat mandatum; *Jac. de S. Georg. in tract. feud. in gloss. verb. præstiterunt juramentum fidelitatis Schenck. Baro. adh. tit. n. 2. Alvarott. adh. text. Hartm. Pistor lib. 2 part. post. quest. 47. n. 58. & 59.* Si tamen justâ & gravi de causa Dominus fidelis intuitum velit, in propria persona homagium præstabit, ut noscat, cui vitam & fortunas committere debeat, quod à Gallis frequenter receptum testatur *Cujac. tit. 4. lib. 2. Hottom. in disp. feud. c. 10. d. investit. solen Bodin. lib. 1. d. Republ. c. 1. Dis. Bl. in l. 1. quest. 56. ff. d. rer. divis. allegat. Sonsb. er. d. feud. part. 7. n. 25.*

(e) Ita ut fœminæ tum vetera feuda renovando, tum nova constituendo maribus æquiparentur *Mozz. d. his qui feud. dar. poss. n. 253.* Nec obstat tale argumentum: Nemo potest dare, quod non habet, & quod habere non potest, *l. traditio ff. d. acquir. rer. dom.* Sed fœmina regulariter non potest habere feudum, neque ab alio infeudari. *S. cum vere vers. hoc autem notandum, qui feud. dar. poss.* Ergo Respon. negando minorem

norem; in pluribus enim casibus mulier feudum, uti demon-
strat Gl. dare potest *vid. que tradita ad us. 1 lib. 1.* Faltit
tamen noster textus 1. Quando mulier luxuriosè vi-
vit, vel dissipat bona sua, ita ut sit quasi prodiga. Nam
tunc ut alienare prohibetur *arg. l. 1. §. mulier ff. d. cur. furor. Matb.*
d. afflic. in §. item si quis. quibusmod. feud. amitt. n. 152. ita & infeuda-
re. 2. Quâdo fœmina ex forma statuti prohibetur alienare, arg.
ducto ab alienatione ad infeudationem *vid. Schneid. d. feud.*
p. 3. 7. Observandum porro hîc, verba textus non esse dubi-
tativè posita, sed assertivè, si enim compilatoribus hæc sen-
tentia, quod videlicet fœmina feudi novi investituram face-
re possit, displicuisset absque dubio eam rejecissent aliamq;
adduxissent. Et cum ea sententia communis, & à plerisque
approbata, non præsumuntur compilatores feudorum ab
ea recedere voluisse. *Hunn. d. feud. cap. 7. p. 10.* De Herma-
phrodito hîc eodem modo quæritur: An Investituram face-
re, ut & accipere possit? Et quoniam jam traditum est tam
masculum quàm fœminam investire & investiri posse, idè
facilis est decisio, quod videlicet sive in illo prævaleat sexus
masculus, sive fœmininus, Hermaphroditus aliquem inve-
stire possit.

(f) Sciendum hîc est. vocem fidelitatis in usibus feu-
dorum usurpari dupliciter 1. Pro ipsa fide, quæ promit-
titur. 2. Pro juramento, quo quis ad fidem illam præstan-
dam sanctè se obligat. *in tit. seqq.* Posteriori in significato hic
accipitur, & asseritur, quod nulla investitura ei fieri debeat
qui juramentum fidelitatis præstare recusat. Prior tamen fi-
delitatis acceptio non excluditur. Nam hæc fidelitas est de
feudi substantia *Mozz. d. feud. sub tit. d. substant. feud. n. 1.* &
in fidelitate consistit forma feudi specifica cum fine conjuncta
Vult. d. feud. lib. 1. cap. n. 6. 8. qua contractus feudalis à con-
tractibus cœteris secernitur. *Wesenb. de feud. c. 8. n. 9.* Et ut
pactum de dolo non præstando haud subsistit, quoniam alte-
rum ad fallendum ac decipiendum quasi allicit, ita etiam feu-
dum alicui dari nequit per investituram, qui statim ab ini-
tio fidelitatem facere recusat.

(g) Deriva.



(g) De derivatione vocabuli feudi videri possunt ea, quæ in proœmio ad lib. 1. feud. diximus. Hic autem insuper sciendū Fidelitatis appellationem in suo sensu clientari in Jure nostro Feudali duplicem habere significationem: Primò per fidelitatem clientelarem ipsa fides, & quæ fidelitate eâ continentur, exprimuntur & promittuntur. Et hæc est propria nominis fidelitatis significatio. Secundò per fidelitatem clientelarem denotatur juramentum illud & promissio quâ Vasallus ad fidelitatem illam præstandam Feudi Domino se adstringit *c. un. tit. seq.* Et sic per metonymiam adjuncti pro subjecto, contento sumto pro continente, quia fidelitas illa est in juramento, a deoque contentum est, & juramentum fidelitatis illam fidelitatem continet *Rosenth. concl. 85. n. 3.* vel per metonymiam subjecti occupantis pro adjuncto occupato, utpotem dum vasallus jurat, fidem intuetur & ad fidem Domino præstandã se sanctè obligat.

(b) Hic observandum, quod etsi alicui juramentum fidelitatis remittetur, nihil minus tamen ille ad ipsam fidelitatem & omnia, quæ fidelitate ipsa continentur, adstringitur, non minus, quàm si eam solenniter jurasset. *Marin. d. gen. & qual. feud. tit. 16. de Feud. sine fidelit. Schrad. p. 2. c. 2. n. 27.* quod si tamen juramento clientelari remisso vasallus feloniam committat, feudo quidem privatur, sed insuper perjurii poenã non constringitur, id quod voluit *Schoner. disp. feud. §. 16. 162.* Nã ubi juramentum non præstitum, ibi nec violatũ dici potest, licet quis fidem ruperit. Deinde scriptum extat *in c. penult. X. d. jur. jur.* Si quispiam per juramentum antea præstitum, at non corporaliter reiteratum postmodum simpliciter promiserit, licet illud transgredi non debuerit, eum tamen non teneri ad ejus observantiam ex debito præstiti antea juramenti. E, multò minus si juramentum prorsus non præstiterit, sed fidelitatem, saltem promiserit stipulatã manu, aut alioquin jure feudi ad eam observandam teneatur, ad ejus observantiam ex debito juramenti non præstiti teneri potest, nec perjurus fieri, licet propter fidelitatem ruptam feudo privetur, & ita justam poenam luat. Plura de fidelitate & fidelitatis juramento videre licebit *in disp. sequenti.*



Investituram doctâ dum scribis ab arte,
Et promis Themidos de meliore penu,
Grator, ritè precans, ut mentem gloria doctâ
Vestiat, & studium nomen honosq; tuû.

Honoris & benevolentia causâ f.

Christoph. Philip. Richter D. Com. P. C.
Consil. S. x. Prof. P. & Fac. Jur. Senior.

Incedis, Ferbere, viâ, que ducit ad altos
Parnassicolles, & summos laudis honores.
Sic alacri pergas cursu, palmamq; reportes.
Id vovet Eximio Dn. Respondenti,
prope rante calamo hac f. ndens
Georgius Adam Struve D. Prof. P.

Macte animo, Ferbere, torum conscende cathedra,
Justius hunc, alii quem subiêre, subi.
Te Charites, Musæque suo tinxêre colore,
Te tinxit Musis conciliata Themis
Tam Charisîa, Clarioque choro benè tincte, modestis
Moribus imprimis, tinctor es ipse tui.
Maacte igitur, Ferbere, Themis tibi tingere gestit
Ostro Temporibus serica digna tuis.

Benevolentia gratiâ allusit

Joh. Strauchius J. U. D. Antecessor ordin.
Curia Saxonica, Scabinatus & Facult. Ju-
ridicæ Assessor.

Assiduus

Asfiduus tinctor pretiosos ungere pannos,
Sordibus & variis mundificare solet.
Annon FERBERUS doctè dum falsa refutat,
Et dubium omne fugat, nomen & omen habet?
Omnino: laudes igitur FERBERE mereris.
Non tibi, presagio, sordida Feuda fore.

PRÆSES.

Hem quanta jam tenet cupido scribendi
Cunctos! Amoris cantat hic sui spurios
Ignes: legendum obtrudit ille turgentis
Mentis suæ scriptum impolitum & indoctum,
Quod jure tradipes Deusqueat prorsus
Cremare. Et hoc ideò patrant, ut ad nigros
Indos volet, Gadesque nomen ipsorum,
Sed ad laborant frustra. Namque scriptum istud,
Quod plurimum conducit, promeret plausum,
Et aera, prorogatque nomen ignotum
Scribentis. Ast amice culte, Ferbere,
De Disputatione num Tuâ hoc ipsum
Dicam? Absit! Est enim referta doctrinæ
Reconditæ, multæque flosculis pulcris.
Hinc laude cresces posterâ recens semper,
Lauroque vel Themis Tibi caput cinget.

*Clarissimo DN. Ferbero, Amico & inquilino
suo honoratissimo*

I m. scrib.

**Christianus Carolus Schalling. D. Cur.
Prov. Saxon. Adv. Ordin.**

EXIMIO DN. FERBERO

LL. Candidato digniss.

Et sic nunc iterum, tractans problemata fendi
Lingua legistua, pulpita nostra teris.

I 2

Hine

Hinc, Ferbere, puto, quod sortis filius alba:
Te Themis extollet, ceu Tibi feuda dabit.
Doctore Themis feudum, cedat Tibi SAXO
Utile; tunc ultra, fœmineumq, Venus!

Amicâ manû applaudeb.

I. B. Manso. Consil. R.

Eximio & Doctissimo
DN. DANIELI FERBERO,
Juris Cultori strenuo, Amico suo
sincerè dilecto. S. O.

Helluo felicem, totoque ex asse beatum
Se reputat, multo si lavat ora merô.
Pamphilus ad viridem si tendit Adonidis hortum,
Ut sua Glycerio mellea labra ferat,
Palladis at casto si quis spatiat in agro,
Is magis ex omni parte beatus erit.
Ejus enim si quis vero exardescit amore,
Vivet in æternos, auctus honore, dies.
Quæ, FERBERE, in te quoniam præcordia tangit,
Te quoque felici dote beabit! AMA.

Amoris ac honoris ergo fac.

Johannes Zeisold, Phys. Prof.

Publ. Honorar.

Kling Gedichte.


Wie einst das fluge Nas auß Aganippen Köhren
Geschwülstig durch das Gras/in reine Silberfloss
Riß Nereus/das die Strut in tausend Würbel schoss/
Dort in der Saalen durch/und lies sich truzzig hören:
Ihr frechen Musen ihr/wollt ihr mein Lob zerstören/

J 3

So

73735
So meine Blut beschmückt / durch eurer Pfütze Goss /
Die keinem Fischer nützt / die nur ein Pferd erschloß /
Drauff rieß Calliope; du Schnarcher / dir zu Ehren
Ist dieses nicht geschick / das unsre Quell erschwülte.
Sieh hier Herr Ferbern an / den dieses Naß erfüllt /
Der färbet Herz und Sinn durch tauerhaffte Farben /
So diese Quelle bringt / durch Tugend / Fleis und Kunst /
Er sucht der Erden Neid / und stadt des Himmel Günst /
Drum wird Er nimmermehr an Kunst und Tugend darbe.

Welches seinem Herren Stubengesellen zu Ehren
aus schuldigster Freundschaft hinzusetzt
Jost Herman Schmalhorst.



Jena, Diss., 1658

ULB Halle 3
004 518 705



f
5b







DISPUTATIO FEUDALIS
DE
ELEGANTISSIMA
INVESTITURÆ
MATERIA

AD IPSOS FONTES JURIS FEUDALIS DIRECTA,
ET
Textus explicationem, TITULI I. II. & III.
LIB. II. FEUD. ac ad hosce spectantes nobiliores
Controversias succinctè resolutas continens,

Quam
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
Consensu Magnifici & Nobilissimi Jctorum in Alma Salana
ORDINIS,

PRÆSIDE
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO,
**DN. ERNESTO FRIDERI-
CO SCHRÖTERO,**

J. U. D. ac PP. Consiliar. Saxonie Curia Provinc.
Facultat. Juridic. atq; Scabinatus Assessore
gravissimo,

Et in presenti prelaudata Facult. Jurid. DECANO
speciatissimo
Patrono, Præceptore ac Hospite suo omni honore
æviternum prosequendo

AD DIEM XXV. AUGUSTI.

H. Lq; C.

Publica Eruditorum ventilationi exponet
DANIEL JERBER / CYGNEUS.

J E N Æ
ANNO, ACADEMIÆ JUBILÆO, MDCLVIII.